82 Ex dictis infertur, ubi uterque conjux esset excommunicatus, adhuc utrique licere petere, & ambos tenere, reddere. Quia excommunicatio utriusque mutuam participationem minime tollit, ut diximus nu. 3. nec excommunicatio jure petendi privat, aut a reddendi obligatione eximit, ut duplici num. præced. probavi.

83 Quæstio III. Utrum conjux excommunicatus possit in judicio agere, restitutionem conjugis, quo spoliatus fuit, petens? Vel potius excludi valeat ob excommunicationis exceptionem? Quidam affirmant posse petere. Quamvis enim excommunicato denegetur actio in foro causarum, *c. Intelleximus, de jud. & c. Decernimus, de sent. excom. in 6.* fallit in causa spoliationis conjugis. Quia excommunicatio nullatenus obstat conjugum participationi. Sic sentiunt *Hostien. sum. t. de restit. spoliat. §. Quando facienda, n. 2. vers. Quid si vir, Jo: Andr. c. Inter alia, n. 2. de sent. excomm.* ubi *Anchar. n. 5.* dicit forte esse verum. Idem *Anchar. cap. Statuimus, n. 4. de sentent. excommun. in 6. Ugolin. de excommun. tabul. 2. cap. 15. §. 3. n. 4. & cap. 23. §. 6. num. 3.*

84 Sed cum exceptio hæc nullo jure probetur, standum puto regulæ generali, *d. c. Intelleximus, & d. c. Decernimus*, deneganti excommunicato actionem, atque ideo dicendum est peccare conjugem recedentem ab altero conjuge excommunicato, verum excommunicatum agere non posse, ut sibi restituatur: ipsique agenti merito opponi posse excommunicationis exceptionem: judicem vero ex officio restitutionem hanc debere facere, ob fornicationis periculum vitandum. Sicut spolians excommunicatum aliis rebus, reus est culpæ, judicisque officio cogendus restituere: excommunicatus autem agens repellitur, nec audiendus est, ut cum *gloss. c. Ex insinuatione, verb. aliud de procur.* tradunt DD. ita sentiunt *gloss. cap. Quoniam multos, verb. Uxores, 11. q. 1. Specul. t. de petitorio & possessorio, §. Quoniam in superioribus, n. 3. Calderin. c. fin. de ordine cognit.* ubi *Ant. n. 13. Abbas n. 12. idem Abb. c. Inter alia, n. 5. de sent. excom.* ubi *Felinus n. un. ver. Numquid maritus, Zachar. addit. ad Abbatem, c. Intelleximus, de judic. n. 8. lit. H.*

85 Quæstio IV. An ratione excommunicationis viri contumacis, & in excommunicatione persistentis, fas sit uxori dotem repetere? *Jo: Andr. addit. ad Specul. tit. De dote post divortium restituenda, §. fin. vers. 2.* quæst. hanc tetigit, & indecisam reliquit. Aliqui autem censent, si nolit tunc uxor cum viro habitare, jus repetendi dotem adipisci. Quasi culpa viri cesset cohabitatio. Sic *Alex. cons. 78. n. 20. lib. 5. Probus addit. ad Monach. c. fin. n. 13. de sent. excomm. in 6. Goffred.* autem *in suis q. Sabatin. q. 21.* admittit jure civili repetitionem: secus jure canonico. Sed brevi quando maritus in contumacia minime perseverat, absque dubio uxor nequit repetere dotem. Cum separati non possit. Atque ita probat *Jo: Camp. tract. de dote p. 3. q. 24* Quando autem contumax est, quamvis res non sit ita certa ut veritas existimo adhuc minime concedi dotis repetitionem. Quia non obstante excommunicatione, uxor cogitur esse cum marito, ut probavimus n. 13. per *c. Inter alia, de excom.* nec textus distinguit, an perseveret, necne in excommunicatione. Ita tuetur *Ugolinus de excom. tab. 2. c. 23. §. 6. n. 5.* ubi bene hoc temperat, nisi tamdiu in excommunicatione perseveret, ut tanquam hæreticus damnatus sit. Cum enim hæretici ipso jure bona amittant, *c. Cum secundum leg. 6. fi. de hæret. in 6.* repetet uxor dotem.

DISPUTATIO XV.

Utrum actus conjugalis in loco publico aut sacro exercitus, culpa lethalis sit?

SUMMARIUM.

In loco publico non licet petere, nec reddere, n. 1.
Quid de tactibus in loco publico, 2.
Quot sint quæstiones dicendæ circa locum sacrum, 3.
Cur fœminis aut sanguini emisso in loco sacro sit sacrilegium & quo jure, 4.
Quando res prohibita duplici præcepto contineat duplicem malitiam, nu. 5. & ibi, an sit duplex malitia, quando peccato annexa est excommunicatio.
An transgressio festi incidentis in dominica, aut vigiliæ incidentis in quadragesima, aut omissio officii divini in habente beneficium, & ordinem sacrum, aut adulterium conjugati cum conjugata, afficiatur duplici malitia confutenda, nu. 6. & ibi. de transgressione voti, & juramenti de eadem re.
Num conjugalis copula Ecclesiam polluat, 7.
Non licet regulariter concubitus intra locum sacrum, 8.
Quid si uterque, aut alter conjux sit diu intra Ecclesiam inclusus. Referuntur duæ sententiæ. n. 9. & 10.
Reprobatur sententia affirmans fornicationem occultam, non esse sacrilegam mortaliter factam in Ecclesia, 11.
Sententia auctoris circa concubitum conjugalem habitum in Ecclesia, 12.
An ubi est licitus in Ecclesia, sit restringendum ut tantum liceat quando causa incontinentiæ vitandæ exerceatur, 13.
An tunc polluat Ecclesiam, 14.
Post num. 14. invenies alia summaria.

Circumstantia loci, de qua præsens est disputatio, in duplici eventu potest actum conjugalem vitiare: nempe, dum publice idest, coram aliis, vel in loco sacro exercetur. Et quidem in loco publico petere aut reddere debitum manifeste culpa lethalis est. Et neminem inveni dubitantem. Quia adversatur decentiæ, & honestati humanæ, essentque sic coeuntes maxima ruinæ occasio aspicientibus. Contrarium exercebant Turrelupini hæretici, docentes ex rebus, quæ a natura insunt, erubescendum minime esse. Atque adeo natura abhorret publicum hunc concubitum, ut nulla necessitate excusari valeat, ut bene docet *Petr. de Ledesma de matr. q. 46. a. 7. ad 1.* 1

Imo tactus inter conjuges alias liciti redduntur illiciti, quando aliis aspicientibus habentur. Quia ad Venerem excitant aspicientes. Qualitas autem culpæ pensanda erit ex tactuum qualitate & astantium fragilitate, si enim tales essent tactus, ut valde astantes inducerent ad Venerem, attenta eorum fragilitate, esset culpa lethalis. Atque ita *Emm. Sa sum. ver. Peccatum, vers. Facere*, ait esse morale coram aliis efficere id, quod suapte natura ad mortale inducit. 2

Circa locum autem sacrum, triplex est disputanda quæstio. Primo. An actus conjugalis licite exerceatur in loco sacro, ac illum non polluat. Secundo, quid de tactibus, Tertio, quid nomine sacri loci comprehendatur. 3

Quæstio I. An culpa lethalis sit, in quocumque eventu conjubitus conjugalis in loco sacro, illumque polluat? Ut colligere facile possimus maliciam actus conjugalis in Ecclesia exerciti; præmittere oportet; unde confurgat esse sacrilegam sanguinis aut seminis effusionem in loco sacro, præ aliis peccatis. Nam si ad criminum gravitatem attendas, graviora multo sunt, hæresis, odium Dei, quæ in Ecclesia admissa nullam specificam deformitatem recipiunt. Si ad decentiam, & reverentiam loci sacri magis illi adversari videntur tactus, & verba inhonesta inter solutos, quam copula conjugalis de se licita & meritoria, cum tamen illa non habent ex loco sacro specialem malitiam mortalem: ut ftatim dicemus *Suarez 3. p. q. 83. ar. 3. disp. 81. sect. 4. §. 3. violatur Ecclesia, opin. 2.* negat rationem culpæ, & specialis deformitaris oriri ex eo, quod Ecclesia polluatur sanguinis aut seminis effusione, sed potius dicit, quia hæc sunt turpia, decentiæque Ecclesiæ repugnantia, illis adjunctam esse veluti censuram, loci violationem, & interdictum ut ibi divina celebrentur. Et potest probari. Quia sicut in odium furti, & quo homines ab eo abstinerent, fulminaretur excommunicatio in furantes, non esset ratio malitiæ furti excommunicatio, sed quia furtum malum & odiosum est, afficeretur ea censura. Præterea, quia extractio Rei ad Ecclesiam confugientis est sacrilega, propter injuriam loco sacro illatam, cum tamen Ecclesia non violetur. Sed magis placet quod docent *Valentia 2. 2. disp. 6. q. 15. punct. 1. §. Præterea etiam ad eamdem speciem, & Vasq. 1. 2. q. 72. ar. 6. disp. 98. n. 4. & duplici seq.* ubi tradunt ideo sacrilegam esse, & deformitatem specificam fortiri sanguinis aut seminis effusionem in Ecclesia: non autem alia scelera ibi admissa. Quoniam jus Ecclesiasticum peculiariter voluit statuitque *c. un. de consecr. Eccles. in 6. cap. Ecclesiis, de consecr. d. 1.* Deo tribui cultum per immunitatem loci sacri ab hujusmodi rebus, non autem ab aliis criminibus: statuitque illis, & non his profanari locum sacrum, ita ut reconsecratione indigeat, quo in illo divina celebrentur: unde ea efficere in loco sacro, est contra loci consecrationem, illumque ut sacer est, violare, & hoc ex solo Ecclesiæ statuto. Quod inde probatur, quia malitia hæc & specialis deformitas non confurgit ex jure naturæ, sed ex solo Ecclesiæ statuto: ut cum *Valentia*, & *Vasq.* docet etiam *Henriq. l. 5. de pœnit. c. 6. n. 5.* & aperte probantes rationes proponit: at non invenitur jus Ecclesiasticum, hæc prohibens in loco sacro fieri, præter textus *c. un. de consecr. Eccl. in 6. c. Ecclesiis, de consec. d. 1. c. Ecclesiis d. 68. cap. fin. de consecr. Eccl. c. Significasti, de adul. c. Si motum, de consecr. d. 1.* qui textus prohibitionis mentionem minime faciunt, sed solum statuunt Ecclesias sanguinis aut seminis effusione violari ergo tota ratio specialis malitiæ & sacrilegæ est, quod Ecclesiam violent. Atque ideo hanc rationem tradunt etiam non ita explicatam, *Paludan. 4. d. 31. quæst. 3. art. 2. num. 14. Richard. 4. d. 32. art. 3. qu. 1. ibi Suppl. Gabr. quæst. un. art. 2. conclus. 11. & ibi Sotus quæst. un. artic. 3. conclus. 3. & ibi Grandus, quæst. ult. post 2. propos. Cajet. Summ verb. Matrimonium, cap. ult. §. 6. cap. Armilla ver. Debitum conjugale, num. 6. Victor. Summ. de matrimon. nu. 279. Navar. Summ. lat. poster. edit. cap. 16. num. 32. vers. 4. Ant. Cucus l. 5. instit. moforum, t. 11. nu. 121. Ledesm. 2. par. 4. quæst. 66. art. 1. §. ult. Nider, Summ. præcept. 6. cap. 4 vers. Sextus non tenetur, Angles Floribus 1. par. de matrimon. quæst. 6. de solvendo debito fin. Enriq. l. 11. de matrimon. cap. 16. nu. 4. Petr. de Ledesm. de matrim. qu. 64. art. 7. concl. 1. Manuel t. tom. sum. 2. edit. cap. 243. n. 19. Cannedo Sum. sacram. tract. de matrimon. cap. 8. n. 71.* Nec obstant rationes oppositæ. Non prior, quia (ut declarabitur num. seq.) furtum non prohibetur tunc respectu alterius virtutis a justitia, qua jure naturali interdictum est, & ideo non fortitur malitiam specie diversam. Non obstat & secunda. Quia ea extractio absque pollutione Ecclesiæ est jure Ecclesiastico interdicta, ob reverentiam loci sacri, ad quem confugitum est *cap. Inter alia, de immun. Eccles.* quod minime statutum invenitur in sanguinis aut seminis effusione. 4

Sed dices, eo quod Ecclesia prohibuerit sanguinis aut seminis effusionem in loco sacro, eaque ipsum pollui decreverit, non esse sufficiens argumentum, ut inde colligatur esse sacrilegium mors. Sicut furtum lege divina, naturali, & humana prohibitum, unicam furti malitiam habet. Ut facilius res hæc percipiatur, accipe regulam, quam tradunt *Enriqu. lib. 5. de pœnit. c. 5. n. 6. & Vasq. 1. 2. q. 72. art. 6. disp. 98. n. 3. & 4.* Peccatum lege aliqua prohibitum, potest bitariam alio jure prohiberi. Primo respectu ejusdem virtutis, & tunc unica, & eadem erit malitia, ut si graffantibus latronibus excommunicatio in latrocinium feratur: tunc enim, quia solus ad injustitiam habetur intuitus, excommunicatio, & præceptum illud novum non trahent ad aliam speciem, nec furtum illud habebit novam circumstantiam specificam. Et in hoc eventu est verum, quod tradit *Cordub. sum. q. 31.* ratione excommunicationis adjunctæ peccato non effici novam culpam. Secundo potest prohiberi intuitu alterius virtutis, & tunc erit duplex malitia specifica, v. g. in ejectio manuum violentarum in clericum jure naturæ ob justitiam veritta interdicitur sub excommunicatione jure Ecclesiastico, intuitu religionis, ob reverentiam personæ sacræ debitam, ultra injustitiam habet ex hac prohibitione sacrilegii religioni oppositi deformitatem. Et in hoc casu vera est sententia *Enriq. l. 5. de pœnit. c. 7. n. 2.* docentis peccatum ratione excommunicationis annexæ novam specificam malitiam accipere. Sic ergo, quia effusio sanguinis injuriosa, aut seminis extra copulam conjugalem, jure naturæ prohibita, illa ratione injustitiæ, hæc ratione intemperantiæ, interdicuntur jure Pontificio in loco sacro, statuendo illis pollui, accipiunt novam deformitatem sacrilegii contra religionem, cujus intuitu interdicuntur, ob loci sacri reverentiam. Quod si hæc alias prohibita non erant, ut effusio sanguinis juridice facta, aut seminis in concubitu uxorio, erunt sacrilegia facta in loco sacro, ob prohibitionem Ecclesiæ intuitu religionis, statuentisque illis Ecclesiam violari. Sufficere etiam ad duplicem culpam, prohiberi, duplici præcepto, intuitu ejusdem virtutis, diversa tamen ratione, ut dicam n. seq. 5

Hinc deducitur pro materia de pœnitentia, dum obligat præceptum audiendi sacrum, aut abstinendi a servilibus, ratione duplicis Festi concurrentis, ut si festum incidat die Dominica: aut jejunii, ratione vigiliæ incidentis quatuor anni temporibus, aut quadragesima, unicam esse malitiam præceptum illud transgredi: atque ita sufficienter fateri dicentem se jejunium aut festum violasse. Quia præcepta illa duo sub eadem ratione formali obligant, intuitu ejusdem virtutis, ut si est festum, religionis, si jejunium, temperantiæ: atque ita contra. *Nav. sum. bisp. c. 28. addit. ad n. 5. c. 11. lat. c. 11. nu. 4. Lud. Lop. instr. qu. 1. cap. 29. §. 3. dico quod quando, Man. 1. to. sum. 2. edit. cap. 23. n. 3.* dicentes esse malitiam diversam specie docent unicum esse peccatum, *Alexand. in Enchir. 2. p. statim in princ. tit. de diferetione peccatorum, nu. 11. Enriquez 1. 5. de pœnit. cap. 5. n. 6. & cap. 6. n. 6. Vasq. 1. 2. qu. 72. art. 6. disp. 98. n. 8. & seq. Emm. Sa sum. verb. Confessio, §. Quidam putant. Petrus de Ledes. summ. sacram. tract. de pœnit. cap. 19. f. 632. §. A estia duda mi parcer es.* Et quamvis multiplicatio illa præceptorum malitiam transgressionis augeat, & ita nonnulli fatentes esse unam peccati speciem, asserant eam circumstantiam tanquam notabiliter aggravantem esse in confessione explicandam, ut refert *Vasq. ea. disp. 98. n. 10.* At verius est, quod cum *Alex. & Petro de Ledesm. Emm. Sa* proxime citatis docet *ipsemet Vasquez ea. n. 10.* non ita notabiliter aggravare, ut sit necessario in confessione detegenda. Quod ii in favorem prioris sententiæ adducas transgressionem voti, & juramenti de eadem re, duplicem malitiam specificam habere, cum tamen prohibeantur diversis præceptis, intuitu tamen ejusdem virtutis religionis: Responsio est in promptu, rationem esse, quia diversa ratione formali pertinent hæc ad religionis virtutem, ut bene docet *Enriquez d. c. 5. nu. 6.* Quia voti observatio præcipitur, ut fides debita Deo servetur: juramenti autem, ne Deus in falsum testem invocetur. Nec obstat etiam quod addacit Navar. pro se, duplex admittere peccatum, Monachum Franciscanum die Veneris in quo incidit vigilia, non jejunantem: alterum contra præceptum Ecclesiæ, alterum vero contra regulam præscribentem illi jejunare festis feriis. Quia respondet bene *Vasquez disp. 98. n. 9.* id evenire, quia frangit duplicis virtutis præceptum, alterum abstinentiæ, seu temperantiæ, ad quod spectat Ecclesiasticum jejunium: alterum autem religionis, quia ex voto obedientiæ tenetur regulam observare: quod si minime voviffet, sed regula more alterius legis jejunium illud præscriberet, unica esset culpa illius transgressio. Addit autem *Enriq. eo l. 5. de pœn. c. 5. n. 6.* unius culpæ reum esse officii divini omissorem, ad quod ratione ordinis sacri ac simul beneficii astringitur. Et *Emm. Sa in sum. verb. Confessio, §. Quidam putant*, unicam esse malitiam, si conjugatus cum conjugata peccet, & satis esse fateri dicendo se adulterium admisisse. Ducitur uterque ob doctrinam traditam. Quia sola est præceptorum circa eamdem materiam multiplicatio. Sed neutram admitto, credoque in utroque casu fatendam esse circumstantiam duplicis obligationis, in illo ordinis, & beneficii, in hoc autem status matrimonii utriusque. Quia in illo est duplex obligatio ad diversas virtutes pertinens, altera ratione ordinis spectans ad religionis virtutem, altera justitiæ, ratione beneficii: confere enim Ecclesia beneficii redditus eo onere, ut illud possidens recitet, & alias eos non faciat suos. In posteriori autem casu licet utraque malitia adversetur uni virtute justitiæ 6

at est duplex injustitia respectu utriusque conjugis peccantium: ac proinde in utroque est duplex malitia diversa confitenda: in priori, diversa specie, in posteriori diversa numero, ut cum quis duos eodem ictu percutit. Atque ita in hoc posteriori casu docent *Nav. sum. bisp. c. 28. addit. ad n. 5. cap. 6. lat. cap. 6. n. 4. post 4. coroll. Manuel 1. tom. Summ. 2. edit. cap. 53. n. 5. Petr. de Led. sum Sacram. tract. de pœnit. c. 19. f. 629. §. A estia duda se responde, Vasquez d. disp. 58 n. 9. Lud. Lopez 1. part. instruct. cap. 35. §. Ceterum quia multa.*

Secundo supponendum est, an per concubitum conjugalem extra casum necessitatis in Ecclesia habitum ipsa polluatur, reconciliationeque indigeat; Negant quidam. Quia *cap. Significasti, adult. & cap. Si motum, de consec. Eccl.* 1. quod est Hygini Pontificis, solius copulæ adulterinæ violantis Ecclesiam fit mentio: & quamvis alii textus generaliter de seminis effusione loquantur, possunt de illicita explicari. Cum pœnæ restringendæ sint. Qua ratione quæstionem hanc indecisam reliquit, dicens Pontificem esse consulendum, *Host. c. fin. n. 3. vers. Quid ergo, si uxor, de conj. Eccl.* eamdem tetigere, nec decidernnt, *Jo: Andr. c. un. n. 3. & 4. de consec. Eccl. in 6. & ibi Anch. nu. 2. vers. Circa effusionem.* Sed hanc partem tuentur *gloss. c. Ecclesiis, verb. Semine, de consec. d. 1.* ubi *Hugo, Laur. & Gandulphus, Arch. cap. n. 2. de conj. Eccl. in 6. & d. cap. Ecclesiis, in fin. Henr c. fin. n. 3. de consec. Eccl. Roselta Conjeratio 1. n. 9. Gerson 2. p. in compendio Theologiæ, tract. de Sacramento conjugii, alphabeto 27. lit. P.* Et hanc dicit forte esse veram *Sotus 4. d. 13. q. 2. ar. 3. vers. ait quarto.* Et hanc videntur amplecti *lex finalis, t. 10. part. 1.* ait enim violari Ecclesiam per adulterium, aut fornicationem. Ceterum omnino renendum est violari, quia *cap. fin. de consec. Eccl. & ci Ecclesiis, de conf. d. 1. & c. Ecclesiis, d. 68.* quæ duo capita sunt desumpta ex Concilio Nicæno, dicunt generaliter Ecclesiam polluisanguinis aut seminis effusione, & ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus *l. De pretio, ff. de publiciana.* Præterea, quia eodem modo loquitur jus de sanguinis, & seminis effusione, at illa quamvis justa sit si fiat cum loci sacri irreverentia, & judicis ministerio, polluit locum sacrum: ergo & hæc, quamvis alias licita esset, polluet. Nec obstant textus pro priori sententia relati, quia non decernunt ob solum adulterium violari Ecclesiam, sed loquuntur in illo casu specialiter: alias probarent per simplicem fornicationem minime pollui. Et ideo hanc tenent. tuentur ex Jurisperitis, *gloss. c. unic. verb. Seminis de consec. Eccl. in 6.* ubi *Dom. n. 10. Francus n. 7. gl. c. Ecclesiis, verb. Semine 88. d. idem Dom. cap. quoniam, ad fin. vers. Gloss. Illud est 31. d. Speculator rationali divinor. offic. l. 1. c. 6. n. 39. Selva beneficiorum 1. p. q. 5. requisito 7. num. 136. & 139. Ang. verb. Consecrat. Ecclesiæ, nu. 6. fin. & vero Debitum, n. 35. Silv. Consec. 2. q. 5. casu 3. & verb. Debitum, n. 5. q. 3. Tabien. Consec. 2. q. 7. n. 8. & matr. 3. q. 9. n. 30. Armill. verb. Consecr. Ecclesiæ, n. 6. & verb. Debitum, n. 6. Bern. Diaz pract. canon. in nova edit. c. 39. n. 2. & ibi Salzedo in addit. lit. B. verb. Contaminet, Nav. sum. c. 16. n. 32. & c. 27. n. 257. Covar. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 2. n. 3. Greg. Lop. l. fin. verb. Fornicator t. 10. p. 1. Lelius de Zanchis de priv. Eccl. priv. 5. n. 6. Ant. Cucus l. 5. instit. major. t. 11. n. 121. Perez l. 5. ordin. t. 1 l. 1. § quæri possit verum copula, Matienzo lib. 5. recop. t. 1. rub. gloss. 1 nu. 99. Ugolin. de matrim. cap. 10. n. 2.* Et ex Theolog. *Ricar. 4. d. 32. ar. 3. qu. 1. Pal. 4. d. 28. q. 8. ar. 4. n. 20. & d. 31. q. 3. ar. 2. n. 14. Suppl. Gabr. 4. d. 32. qu. un. art. 2. concl. 11.* ubi *Sot. qu. un. art. 3. concl. 3. Ocam. ibi qu. un. post 2. propos. Abul. c. 5. Mat. q. 237. D. Ant. 3. par. t. 1. cap. 20. & t. matrim. 8. pro hujus succinda, cap. 6. § 4 casu 2. Adrian. 4. q. 14. d. Cajet. Summ. verb. matrim. ult. vers. 6. caput, Victor. Summ. de Euchar. n. 99. & de matrim. nu. 279. Cesor l. 1. de lege pœnali cap. 7. doc. 2. de Ledesm. 1. par. 4. qu. 24. art. 3. dub. 7. casu 2. & 4. p. 4. q. 66. ar. 1. & ult. & quæst. 20. art. 2. ad fi. paulo ante t. de casib. reservat. Nider Summ. præc. 6. cap. 4. ver. Sextus non tenetur, Suarez 3. par. qu. 83. art. 3. disp. 81. sect. 4. §. violatur, Anglus flor. 1. p. de matr. quæst. 6. de solvendo debito fin. Enriq. l. 9. de missa c. 27. n. 5. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 64. art. 7. concl. 1. & Sum. sacr. tract. de Euchar. cap. 20 Bart. a Ledes. dub. 46. de Euch. post 3. concl. §. Sed dubium est. Lud. Lopez 1. par. inst. c. 82. §. at vero de redditione & 2. par. cap. 97. de Euch. §. præterea ferie, Manuel 1. t. Sum. 2. edit. cap. 154 n. 11. concl. 10. & c. 243. nu. 19. Capua p. 1. dec. 12. c. 48. num. 16. Vivald. candel. sacr. p. 1. de matr.* ubi de debito conjugali, *n. 262. & p. 2. de interdicto n. 72. Vega 1. t. Sum. 2. edit. cap. 78. casu 1. Cannedo Sum. sacr. tract de matr. cap. 8. n. 75.*

Hinc deducitur extra casum necessitatis (de quo statim disputabimus) culpam esse, & sacrilegium uti matrim. in loco sacro, tam petendo debitum, quam reddendo. Quia cum ea copula violet locum sacrum, impediatque in eo divina celebrari, donec reconcilietur, directe sanctitati loci opponitur, ac proinde sacrilega est. Quod si quæras, cur petenti sacrilege adversus sanctitatis votum, teneatur alter conjux reddere, petenti autem in loco sacro non solum non teneatur, sed sacrilegus sit reddendo: cum utrobique ex parte petentis sit sacrilegium? Respondeo ex traditis hoc l. 6. n. 7. & 16. discrimen esse, quia votum est circumstantia renens se ex parte solius petentis, nec afficit ipsum actum ac proinde solam ipsius petitionem vitiat: at loci sacri circumstantia tenet se ex parte ipsius actus, & æque se habet ad petitionem, & redditionem, utraque enim violat illum, ac proinde utramque vitiat. Ita docent *Ricard. 4. d. 32. ar. 3 q. 1.* 7

8

ubi

ubi *Suppl. Gabr. qu. un. concl. 11. in 2. ar. Dom. cap. un. num.* 10. *de consecr. Eccl. in 6. Tiraq. lib.* 15. *connubial. n.* 106. qui numeris sequentibus pleraque supplicia refert per Principes ethnicos constituta in eos, qui in Templis coibant, *Rosell. verb. Debitum, n.* 7. ubi *Armil. n.* 6. *Asten. sum. 2. p. tit. 10. art. 4. qu. 2. Adr. 4. q. 14. de matr.* §. *Pro hujus successione, Petr. de Ledes. de matr. q.* 64. *ar.* 7. *concl.* 1. at hi DD. non exprimunt, sit mortale necne: solus *Pet. de Led.* dixit esse mortale petere, & non licere reddere. Sed alii, & merito, expressere utrumque esse mortale. Quia est gravis, & sacrilega injuria loci sacri, nec ob rem venialem par erat interdici in eo divina officia, Sic *Monal. sum. tract. de matrim. t. effectu matrimonii*, *vers. Item esse alius effectus, in fi. Henr. c. 2. nu. 6. de conjug. leprof. Ang. verb. Debitum, n.* 35. *Sotus 4. d.* 32. *qun. ar.* 3. *concl.* 3. ubi *Ovand. q. un. post 2. prop. Petr. de Soto tract.* 16. *de matr. fin. Ledesm. 2. p. 4. q.* 66. *ar.* 1. §. *ult. Ant. Cucus lib.* 5. *instit. major. t.* 11. *n.* 121. *Enriq. lib.* 11. *de matr. c.* 16. *n.* 4. *Suarez 3. p. q.* 83. *ar* 3 *disp.* 81. *sect.* 4. §. *Violatur, ad fin. Margarita conf.* 6. *præcept. f.* 66. *Lud. Lop. 1. p. instr. c.* 82. §. *at vero de redditione, Man. 1. to. sum. 2. edit. c.* 243. *nu.* 910. Et eidem sententiæ accedunt alii, absolute, & indistincte docentes accessum conjugalem in Ecclesia extra casum necessitatis esse lethalem. Hi sunt *Alens. 2. p. q.* 166. *membr. 2. ad 1. ex arg. quæ posteriori loco proponit*, *Silv. verb. Debitum q. 3. n.* 5. *Nav. sum. c.* 16. *n.* 32. & *c.* 6. *disp. n.* 9. *lat. n.* 11. *Cov. 4. decr. 2. p. c.* 7. § 2. *n.* 3. *Steph. de Gaeta repet. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 178. *Perez l.* 5. *ord. to. 1. l.* 1. §. *Quæri potest utrum copula, Matienzo lib.* 5. *recop. t. 1. rubr. gl. 1. n.* 99. *Salzedo super præd. Bernardi Diaz c.* 39. *lit. B. verb. Non tamen conjuges, Vivol. cand. 1. p. de matr. n.* 262. *Copua p. 1. dec. 1. c.* 83. *num.* 10. *Bart. a Led. de pœn. dub.* 12. *in interrogationib. circa 6. præceptum*, §. *Similiter interrogatur, Petr. de Led. sum. Sacr. tract. de Euch. c.* 20. de limitatione autem quam aliqui ex his auctoribus apponunt, nempe, si copula sit publica, digam c. 10. & 11. Hinc infertur non esse credendum aliquibus asserentibus petentem in loco sacro peccare, at alterum teneri reddere, nisi bono modo possit petentem inducere, ut desistat. Sic docent *Gaudulphus* (ut refert *Gl. c. quoniam, verb. Opportuno d.* 31.) *Host. sum. t. de matr.* §. *Quis sit effectus, n.* 22. & *c.* 2. *de conjug. lepr. n.* 6. *super vers. Cui præcepto*, ubi *Jo. Andr. n.* 3. *Ant. num.* 11, *Anch. fi. Geff. sum. t. De mate. contrado contra interdictum Ecclesiæ, in fi. Arch. c. un. n.* 2. *de consec. Eccl. in 6. Abul. c.* 5. *Matt. q.* 237. *Gerson 2. p. de reg. moral. tract. de matr. alph.* 25. *lit. I. fin.* & hoc indicium reliquere *Joan. Andr. c. un. n.* 3. & 4. *de conj. Eccl. in 6. Alberi. rub. n.* 4. *de sacrof. Eccl.* Sed oppositum omnino tenendum est, nullo videlicet modo teneri alterum conjugem reddere, quia non petitur debitum in loco opportuno, ficut si in publico exigatur. Quod ultra omnes DD. relatos, dicentes non tantum non teneri, sed etiam peccare reddendo, docent alii asserentes non teneri, subticent tamen an sit culpa reddere. Ita *Gl. c. quoniam, v. Opportuno d.* 31. & *cap. pen. in fin.* 33. *q.* 4. & *cap. Ecclesiis, verb. Semine d.* 58. *Dom. d. c. quoniam, ad fin. & ibi Præpos. ad fin. Idem Præpos. c. 2. in fin. de conjug. leprof. Abul. 2. p. q.* 166. *memb.* 3. *in solut. ad* 5. *Mayron. 4. d.* 32. *q. un. Pal. 4. d.* 31. *q.* 3. *ar.* 2. *n.* 14. *D. Ant.* 3 *p. t.* 1. *c.* 20. §. 2. *Vict. sum. de matr. n.* 267. *fin. Nav. sum. c.* 16. *lat. n.* 25. *disp. n.* 24. *Turr. cap. Sciatis* 33. *q.* 4. *ar.* 5. *n.* 1. *Gaeta d.* §. 4. *num.* 179. *Viguer. k. instit. c.* 16. §. 7. *vers.* 10.

Potissima autem difficultas est, Num actus conjugalis ita interdictus sit in loco sacro, ut etiam in casu necessitatis, v. g. quando conjuges diu sunt intra illum inclusi, nec patet aditus ad cameram illi ad jacentem, illicitus sit, illumque polluant? Triplicem invenio sent. prima affirmat illicitum esse, eoque Ecclesiam pollui. Ducitur, quia nulla est præcisa necessitas, nec mirum, ut tunc conjuges ob loci reverentiam teneantur a concubitu abstinere, cum ad id ob diuturnam absentiam cogantur. Ita sentiunt *Palud. 4. d.* 18. *q.* 8. *ar.* 4. *n.* 20. & *d.* 13. *q.* 3. *d.* 2. *n.* 14. *D. Ant* 3. *p. t.* 1. *c.* 20. §. 2. *Cajet. sum. verb. matr. c. ult. ver. 6. caput. Pisana verb. Debitum, n.* 7. ubi *Suppl. n.* 7. *A mill. n.* 6. *Tabien. matr.* 3. *q.* 9. *n.* 10. *Navar. sum. c.* 16. *n.* 32. *Steph. de Gaeta repet. c. ad limina* 30. *q.* 2. §. 4. *n.* 178. *Salzedo super præd. Bernardi Diaz c.* 39. *lit. B.* §. *Non tamen conjuges, Vival. candel. 1. p. de matr.* ubi de debito conjugali, *n.* 262. Atque esse tunc culpam venialem reddere, docet *Gerson 2. p. in compend. Theologiæ, tract. de sacramento conjugii, alphabeto* 27. *lit. B.*

Secunda sent. distinguit, dicens licitum esse, si occulte exerceatur actus ille conjugalis: secus si sit publicus, ad quod sufficit conjuges publice in eodem thoro accubare. Ducitur, quia per pollutionem aut concubitum dum occulta sunt, minime violatur Ecclesia: juxta verissimam fere omnium sententiam, atque ita cessat irreverentia, & malitia: cum ex pollutione Ecclesiæ consurgat, ut probavi n. 4. Sic tenent *Sotus 4. d.* 32. *q. un. ar.* 2. *post* 3. *concl vers. Hanc autem*: licet trepide, dicit enim forsan non esse mortalem, occultum concubitum, *Angles florib. 1. p. de matr. q.* 6. *de solvendo debito, fine, Manuel 1. to. sum. 2. edit. c.* 243. *n.* 19. *Vega t. 1 sum. 1. c.* 78. *casu 1. in 2. edit. Lud. Lop. 1. p. instr. 3. c.* 33. §. *Inter varias, & c.* 82. §. *At vero de reddit. Cannedo sum. sacr. tr. de matr. c.* 8. *n.* 75. hi omnes dicunt non esse mortalem talem concubitum occultum: at non explicant, an omnino culpa vacet: solus *Manuel* dixit posse aliquando esse absque culpa: & melius *idemmet eod. t. c.* 154. *concl.* 10. *n.* 11. dixit esse licitum. Hujus etiam sententiæ videtur *Capua 1. p. dec 1.* 83. *n.* 10. ubi dicit etiam quamdiu conjuges sunt obsessi, reconciliandam esse Ecclesiam, si copula sit notoria.

Ex ratione hujus sententiæ aperte colligitur, fornicationem, occulte admissam in loco sacro, non habere malitiam lethalem sacrilegii, atque ita loci circumstantiam non esse necessario tunc confitendam. Quia (ut probavi n. 4.) tota sacrilegii mortalis deformitas ex loci sacri pollutione petenda est, at cessat pollutio, ubi est fornicatio occulta. Atque ita fatetur esse satis probabile *Vas q. 1. 2. q.* 72. *ar.* 6. *disp.* 98. *n.* 6. Et juxta hoc non est opus conjuges diu obsessos esse: quo a culpa mortali excusetur copula inter eos in loco sacro habita occulte. Atque ita significat *Ludov. Lop. 1. p. instr. c.* 82. §. *At vero, de redd.* ubi dicit talem copulam non esse mortalem, maxime si conjuges sint diu obsessi. Ceterum hoc non approbo. Quia per eum concubitum ex natura facti & per se polluitur Ecclesia, licet non teneamur abstinere a celebratione in ea, dum occultus manserit atque ita absque novo actu novaque culpa incipit esse polluta, ubi primum de præterito concubitu constiterit per famam, aut conjugum confessionem, juxta *c. Significasti, de adult.* Qua ratione eam distinctionem reprobant *Pal. 4. d.* 31. *q.* 3. *a.* 2. *n.* 14. *D. Ant.* 3. *t.* 1. *c.* 20. §. 1. *Andr. 4. q.* 14. *de matr.* § *Pro hujus successione, Tab. matr.* 3. *q.* 9. *n.* 15. *Nav.* dicens sustineri non posse limitationem, si copula sit occulta, *sum. lat. in* 1. *edit. c.* 16. *n.* 32. *vers.* 4.

Tertia sent. (cui adhæreo, tanquam probabiliori) dicit nullam esse culpam lethalem conjugalem, concubitum intra locum sacrum in casu necessitatis exercitum, ut si diu conjuges intra locum sacrum ita obsessi sint, ut ad alia loca non sacra egressus minime pateat, quo mariteliter copulentur, secus si brevi tempore. Et ratio est, quia priori casu difficillimum est continere, & valde probabili incontinentiæ periculo exponerentur conjuges, admittendo voluntarias pollutiones, nisi concubitus eis liceret, quare non est credendum, Ecclesiam in hoc eventu voluisse obligare ad abstinendum, ob quamdam loci sacri extrinsecam decentiam: eo vel maxime, quod cetera Ecclesiæ præcepta in casu magnæ necessitatis deobligant. In posteriori autem casu facili negotio possunt abstinere brevi illo tempore. Et confirm. quia licet necessitas coeundi non sit tunc præcisa & absoluta, ac prorsus inevitabilis, at est necessitas morali modo, & attenta humana fragilitate inevitabilis, quod satis est ad deobligandum. Præterea, quia qui gratia id periculum vitandi conjunguntur in loco sacro, illum potius reverentur, quam injuriam inferant. Et ideo hanc sententiam sustinet *Alens. 2. p. q.* 166. *memb 2. ad 1. ex argumentis propositis posteriori loco, Alb. Magn. 4. d.* 32. *art.* 11. *ad 2.* ubi *Ricar. art.* 3. *q.* 1. *Scot. ibi q. un. fine, Major. q.* 1. *arg.* 2. *contra* 3. *concl. Suppl. Gabr. q. un. ar.* 2. *concl.* 11. *Mayronis qu. un. Guill. Borrillong q. un. art.* 2. *post* 1. *concl. casu* 3. *Bassolis q. un. a.* 3. *Nicol. de Orbellis q. un.* §. 3. *Ovand. q. un. post* 2. *propos. Palac. disp.* 1. *f.* 711. *vers. at vero contra, Henr. c.* 2. *n.* 6. *de conjug leprof. Jo. de Friburgo sum. conf. l.* 4. *t.* 2. *q.* 43. *Alens. 2. p. sum. tit.* 10. *ar.* 4. *q.* 2. *Rosel. Conjecratio* 1. *n.* 9. & *verb. Debitum, n.* 7. ubi *Aug. n.* 25. & *Sylv. q.* 3. *n.* 5. *Conjecratio* 2. *q.* 5. *casu* 3. *Castro l.* 1. *de lege pœnali l.* 7 *docum.* 2. *Mon. sum. tract. de matr. t. de effectu matr. vers. Est alius effectus, in fin. Turr. c. Sciatis* 33. *q.* 4. *art.* 5. *n.* 8. *Cov.* 4. *decr.* 2. *p. c.* 7. §. 2. *n.* 3. *Ant. Cucus l.* 5. *instit. major. t.* 22. *n.* 121. *Nider. sum. præc.* 6. *c.* 4. *vers. Sextus non tenetur: simile ver. Dictum est* 2. *Marg. conf.* 6. *præcepto, f.* 86. *Alcozer sum c.* 50. *f.* 75. §. *Los tocamientos he hes, Suarez 3. p. q.* 83. *art.* 3. *disp.* 81. *sect.* 4. §. 3. *violatur, Enriq. l.* 9. *de Nissa c.* 27. *n.* 5. & *l.* 11. *de matr. c.* 16. *n.* 4 *Petr. de Led. de matr. q.* 64. *art.* 7. *concl.* 1. & *sum. sacr. tr. de Euch. c.* 20. *diffic.* 1. *circa modum, quo pollutur Ecclesia semine, vers. Digo lo primero, Bart. a Led. dub.* 12. *de præc. in interrog. circa 6. præc.* §. *Similiter interrogetur*. Et hanc esse probabilem dicunt *Victoria sum. de matr. n.* 269 & *Led. 2. p. q.* 66. *art.* 1. *fi.* & forte esse veram asserit *Lud. Lop. 2. p. instr. de Euchar. c.* 79. §. *Præterea sories*. Ejusdem sententiæ viventur *Greg. Lop. l. fi. v. Fornicatio, t.* 10. *p.* 1. *Perez l.* 5. *ord. t.* 1. *l.* 1. § *Quæri potest utrum copula*, & *Matienzo l.* 5. *recop. t.* 1. *rub.* 2. *gl.* 1. *n.* 99. *Led. 1. p. q.* 24. *a.* 3. *dub.* 7. *casu* 2. ubi dicentes pollui Ecclesiam quando conjuges in loco sacro commiscentur, excipiunt nisi conjuges diu intra Ecclesiam obsessi existant: atque ita clare sentiunt tunc non esse culpam mortalem, quod expresse docet *Matienzo*. Et habet verum hæc sententia, licet concubitus sit publicus DD. enim præcidi non distinguunt, sit occultus, necne. Et tenent expresse *Palac. Suar. Petr. de Led. illo loco in tr. de Euch. cit.* ubi etiam *vers. Digo lo segundo*, dicit & bene, cum Suar. loco prox. cit. non solum hoc procedere ubi uterque conjux esset ita in Ecclesia obsessus, sed etiam ubi alter, posset enim consummare intra Ecclesiam altero illuc adeunte. Quia eadem est ratio. Sed quia multi ex his DD solum dicunt, non esse tunc accessum lethalem, nec explicant num loquantur de sola debiti redditione, vel etiam de petitione, id superest amplius declarandum. Et quidem *Mon.* & *Nider hoc n. cit.* asserunt reddentem in hac necessitate, immunem esse culpæ, petentem vero reum culpæ venialis. Sed immerito, quia si necessitas omnem irreverentiæ rationem aufert, totam subinde deformitatem, & culpam evacuat. Atque ideo dicendum est, nullam esse culpam ratione loci sacri, & reddere & petere. Et ita docent *Ricar Suppl. Gab. Major. Asten. Guill. Borril. Turrec. Castro, Ovand. Ang. Rosella Enr. Pet. de Led. Bar. a Led. Palac. hoc n. rel.* & idem dicunt loquentes de accessu indistincte, *Mayronis, Bassolis, Nic. de Orbellis, Alcozer* hic alleg. & clare sentit *Sylv. loc. cit.* dicit enim cessare in hoc casu irreverentiam. Sed adhuc quæres, quod tempus dicatur longum, & quod breve? *Suar. loco prox. cit.* & *Pet. de Led. sum. sacr. c.* 20. *de Euch. f.* 264. *v. Digo lo segundo*, dicunt breve tempus esse, si una vel alia die intra Ecclesiam

siam conjuges maneant. Sed non credo intentionis eorum esse, ut existiment quinque, aut sex dies reputari longum tempus. Quia non est ita difficile sex diebus continere. Quare attenta communi hominum fragilitate, unum mensem existimarem longum tempus. Vix tamen credo fore, ut casus is eveniat. Quia semper sunt in Ecclesiis cubicula adhærentia, & turris; quæ nomine loci sacri minime includi, quo ad actum conjugalem exercendum consugi possit, statim dicemus.

Sed adhuc non modicus scrupulus superest, num in ea necessitate solum liceat copula conjugalis in Ecclesia ad vitandum incontinentiæ periculum in alterutro ex conjugibus? Nam *Silv. Ovandus*, & *Margarita confess. quos n. præc. retuli*, dicunt esse mortalem copulam in eo eventu habitam quocumque fine, nisi ad vitandum in alterutro conjuge incontinentiæ periculum, quamvis tunc in ipso actu adsit voluptas non principaliter intenta. Et ejusdem sententiæ videntur *Victoria, Castro, Enriq. nu. præc. etiam alleg.* & *Lud. Lop. 2. p. instr. de Euch. c.* 79. §. *Præterea*, dicunt enim licitam copulam esse in Ecclesia, quando conjuges diu obsessi, & de illicita seminis effusione sibi ipsis timentes coirent, & hoc dicit esse tutius *Led. 2. p. q.* 66. *ar.* 1. *fi.* & videntur favere *Ricard. Suppl. Gabr. Rosella, Astensis, Turrec. citati n. præc.* dum probant licere talem copulam, ea ratione, ne laqueus animabus injiciatur. Potest probari, quia nulla alia necessitas potest urgere ad eam concubitum habendum. Sed meo judicio hi ultimi DD. non sunt ejus sententiæ, nam satis periculosum rete tenderetur, si esset mortalis copula non ob eum finem habita, & gravissimis scrupulis angerentur conjuges, maximoque periculo, peccandi lethaliter expositi essent, si semper discutiendum ab eis esset, num eum accedere voluntarie, incontinentiæ periculum patiantur. Quare *Majoris*, & *Palacios, n. præc. alleg.* in eo casu diuturnæ obsidionis, merito & jure optimo exculant copulam a loci sacri irreverentia sacrilega, in omnibus casibus, in quibus extra Ecclesiam vacaret culpa lethali. Quod *Led. proxime citatus*, fatetur esse probabile. Quod etiam sentit *Bart. a Led dub.* 12. *de pœn.* ubi de interrogationibus circa 6. præc. §. *Similiter interrogetur*, ubi absolute dicit licere tunc copulam: & addit maxime hoc habere verum, ubi alter conjux redderet, aut peteret ad vitandam in se vel in altero incontinentiam, Unde quamvis necessitas urgens ad permittendam in hoc casu copulam, sit incontinentiæ periculum, non tamen admitto esse necessarium ad eum finem referri, ut a culpa mortali excusetur, nec credo esse necessarium ut id adsit periculum, sed satis est, ut in ea diuturna obsidione, attenta humana fragilitate, & morali modo loquendo, adsit communiter id periculum, quamvis desit in aliquibus particularibus conjugibus, aut eventibus. Quia lex ad ea, quæ frequenter accidunt, attendit, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Et hujus sententiæ videntur esse *Alcozer* & *Suar. n. præc. citati*, & *Petr. de Led. sum. sacr. cap.* 20. *de Euch.* ubi de modo, quo Ecclesia semine polluitur, *vers. Digo lo primero*, ubi dicunt ideo crimen esse copulam, dum brevem moram sunt tracturi conjuges intra Ecclesiam, non autem quando longam. Quia in priori casu, facile, in posteriori vero difficile continere possunt, atque ita non considerant actuale periculum, & præsentaneum, sed morale, & frequenter accidens attenta humana fragilitate. Ejusdemque sententiæ sunt ceteri auctores, n. præc. allegati, demptis paucis, quos hic refero, cum absolpulam. Imo addo quando constat fore ut ea obsidio diu perseveret, posse statim conjuges coire in Ecclesia. Quia jam adest urgens causa, & necessitas prædicta, nec cogendi sunt expectare donec aliquod tempus elabatur: cum non sit major ratio de uno tempore, quam de alio: alias ubi postea se commiscerent, tenerentur expectare moram aliquam temporis, ut iterum copula uterentur. Quia brevi tempore post copulam, facile est abstinere: ac proinde nimios scrupulos, ac offendicula objicere conjugibus, id esset potius, quam illorum fragilitati consulere. Idque videtur sentire *Alcozer num. præc. allegatus*, dicit enim quando conjuges diu debent esse intra Ecclesiam obsessi, licere illis usus matrimonii.

Tandem infertur in eo casu, in quo licitam esse copulam in loco sacro diximus, minime pollui, nec reconciliatione indigere; cessat enim irreverentia. Atque ita docent *Majoris, Ovand. Rosel. Silvest. Castro, Nav. Greg. Lop. Anton. Cucus Led. Ludov. Lopez, Perez, Salzedo, Enriq. Petrus de Led. Bart. a Led. Matienzo, Margarita confess.* quos *n.* 12. retuli. Quamvis *Angel. verb. Debitum, n.* 53. dicat pollui Ecclesiam, quamvis fateatur tunc esse licitam copulam.

SUMMARIUM.

An cogitationes, desideria, confabulationes, nutus, aspectus, tactus inhonesti, in loco sacro, sive inter conjuges, sive inter solutos, sint sacrilega. Refertur triplex sententia, n. 15. 16. & 17.

Sententia auctoris circa cogitationes, & desideria, n. 18. & 19.

Circa aspectus, & verba, n. 20.

Circa tactus, nu. 21. *ubi quando circumstantia loci constituat sacrilegium.*

Solvuntur argumenta, n. 22. *Post quem invenies summaria alia.*

QUæstio II. An non tantum concubitus conjugum extra casum dictæ necessitatis sit sacrilegus in loco sacro, sed etiam

cogitationes, desideria, aspectus, confabulationes, nutus & tactus inhonestos, inter ipsos, aut inter solutos, sint sacrilega, & proinde sit confitenda loci circumstantia? *Silvest. Confessio* 1. q. 10. *n.* 11. *flatim in princ.* in ea est sententia, ut desideria cogitationesque turpia in Ecclesia habita, sint sacrilega, & necessario explicanda sit loci sacri circumstantia. Ducitur, quia hæc eamdem malitiam habent, quam concubitus ipse. 16

Alii vero idem fatentur de confabulationibus, nutibus, & tactibus libidinosis: de cogitationibus autem, & desideriis non meminere. Quia negari minime potest esse gravem irreverentiam loco sacro illatam. Sic *Corduba sum. q.* 190. 17

Demum alii id negant de aspectibus, & confabulationibus, & cogitationibus desideriisque, non tamen consummandis intra Ecclesiam: fatentur autem de tactibus, præsertim si sint in partibus inhonestis. Sic tradunt *Lud. Lop. 1. p. instr. c.* 33. *a* §. *Ceterum quia de copula*, & agens de tactibus in locis secretis, & verendis, *Manu. 1. tom. sum. 2. edit. c.* 207. *n.* 1. Quia tactus ejusdem malitiæ sunt cum copula.

His tamen non obstantibus sit conclusio. Si in Ecclesia existentes desideret concubitum conjugalem, aut fornicarium, exercenda tamen extra Ecclesiam, nullus sacrilegii reus est, nec illa loci circumstantia est necessario confitenda. Prob. quia quod repugnat loci consecrationi, ipsumque polluit est seminis effusio: ut constat ex dictis n. 7. sed hæc non est exercenda in Ecclesia: ergo nulla est circumstantia ex parte loci. Et confirmatur, quia tota ratio hujus sacrilegii est, eo quod locus sacer violetur, ut probavi num. 4. quod non inveniturin solo desiderio extra Ecclesiam consummandi actum. Secundo, quia actus internus, & externus tunc sunt ejusdem speciei, quando tendunt in idem objectum cum eisdem circumstantiis: ut si quis conjugatam seminam concupiscat sub expressa conditione si soluta esset, non est adulter, quamvis actus externus copulæ cum illa adulterinus esset. Quia actus internus non fertur in externum sub eadem circumstantia, sed concubitus in Ecclesia, & desiderium illius exercendi extra eam, non feruntur in objectum sub eadem circumstantia: ergo actus ille internus non est particeps malitiæ sacrilegii, quæ in externo reperitur. Et confirmatur, quia si extra Ecclesiam optaret quisquam concubitum intra illam, sacrilegus esset, eo quod copula volita est exercenda intra Ecclesiam: non ergo attenditur locus desiderii, sed locus ubi actus ipse consummandus est. Tandem hæc conclusio constabit ex ratione, quam n. 21. afferam. Et illam sustinent *Canus relect. de pœnit. p.* 5. ubi de circumst. confitendi §. *Multa hic de peccatorum circumstantiis. Nav. c. Confiderat. in princ. n.* 21. *de pœnitentia, d.* 5. & *sum. c.* 6. *disp. n.* 10. *lat. n.* 12. *Vivald. Candel. sacram. 1. p. de confess. n.* 46. *Petr. de Ledesm. sum. sacram. de pœnit. cap.* 19. *circa loci circumstantiam, §. A cerca desta concl. Lud. Lop.* & *Manue. n. præc. allegati. Alcozer sum. c.* 20. *fol.* 74. *col.* 2.

Ex his infero primo, concupiscentem in Ecclesia seminam, quam videt, aut cujus meminit, nisi expresse appetat in Ecclesia ipsa suam voluntatem exequi, sacrilegum minime esse. Quia licet id desiderium in loco sacro conceptum sit, at non est consummandi in eo: quod ad sacrilegii deformitatem desideratur. Ita *Nav. eo. c. Confideret in princip. n.* 21. *vers.* 4 *infero.* 19

Secundo infero, aspectus, nutus, verba inhonesta in Ecclesia, non esse sacrilega, nec loci circumstantiam necessario fatendam esse. Quod aperte probant rationes allatæ nu. 18. docent *Canus, Manuel, Alcozer, Lud. Lop. Petr. de Ledes. ibi citati.* Sed limitat *Petrus de Ledesma* nisi verba inhonesta altiori voce proferrentur: tunc enim ait esse sacrilegium necessario confitendum, quia sanctitati loci repugnant. Sed id minime credo, ob ea, quæ dixi n. 18. & dicam n. seq. sed potest esse peccatum aliud scandali. 20

Tertio infero, tactus quantumcumque turpes in loco sacro absque pollutionis periculo (in hoc enim eventu semper loquimur, & accipienda sunt omnia dicta) non habere circumstantiam sacrilegii aperiendam necessario in confessione. Probatur rationibus adductis n. 18. Item quia tunc loci circumstantia sacrilegium constituit, & in confessione detegenda est, quando actus in eo admissus directe adverfatur sanctitati, aut immunitati loci, id est, illis ad quæ locus sanctificatus est: ut si ibi possit divina celebrari, aut mortuos sepeliri impediat, vel auferat immunitatem illuc confugientium, aut securitatem rerum ibi in custodiam depositarum, ut optime docent *Cajetanus opusculis, tom. 1. tr.* 17 *respons. qui est trigesimus primus, resp.* 12. *dub.* 2. *Nav. c. Confideret, in principio, n.* 20. *de pœnit. d.* 5. sed illis tactibus non violatur Ecclesia; nec est violationis periculum, cum cessat pollutio, ejusque periculum, & proinde non impediuntur officia divina, aut mortuorum sepultura: non ergo sacrilegi erunt, nec loci circumstantia erit necessario fatenda. Et ita docent *Alcozer summ. cap.* 20. *fol.* 74 *column.* 2. §. *Los rocamientos.* 21

Ad argumentum contrarium n. 15. propositum constat ex dictis n. 18. cum enim actus internus non feratur in objectum cum eadem circumstantia actus externi, non est ejusdem speciei. Ad propositum n. 16. dic aliquam irreverentiam esse: at non excedere limites culpæ venialis. Quia non violatur locus sacer. Sicut de aliis peccatis gravibus in loco sacro admissis fatetur. *Silv. Confessio* 1. q. 10. Ad aliud propositum nu. 17. dic id esse verum, quando ordinatur ad concubitum cum eadem cir- 22

cumstantia, & est eadem ratio in tactibus, & in copula, Quod utrumque hic desideratur. Quia nec tactus tendunt ad copulam intra Ecclesiam, nec illam violant instar copulæ.

SUMMARIUM.

Quid nomine loci sacri comprehendatur; num omnis locus gaudeat immunitate Ecclesiastica, 23.
Comprehenditur locus sacer, aut benedictus ab Episcopo, ad divina deputatus, 24
Quale Ecclesiæ spatium comprehendatur, 25.
Quid de loco supra tectum, & de parietibus Ecclesiæ, 26.
Quid de locis sub Ecclesia constitutis, & de sepulchro concavo ibi sito, 27.
Quid de Janua Ecclesiæ, 28.
Quid de cameris adhærentibus Ecclesiæ, n. 29. *Et quid de turri* 30.
Quid, de sacristia, 31.
Quid, de propylæis intra Ecclesiam constitutis, vulgo comiias, o andenes, 32.
Quid, de choro: & loco organorum, 33.
Quid, de locis deputatis ad feminarum confessiones excipiendas, 34.
Quid de cameris instar odæi vulgo, tribunas, 35.
Quid, de Ecclesia jam benedicta, cœptaque construi, in qua nondum celebratum est, 36.
Quid de Ecclesia destructa, & an gaudeat immunitate Ecclesiæ, 37.
Quid, si laxetur Ecclesia, capella aliqua ipsi addita, aut aliqua parte, nec illa benedicatur, 38.
Quid, de oratoriis privatis, Ecclesiis eremitoriorum, aut Xenodochiorum, n. 39. *& ibi quando præsumatur auctoritate Episcopi erecta.*
Quid de cœmeterio, 40.
Quid de claustris religiosorum, 41.
Quid de aliis habitaculis, & officinis monasterii, 42.
Quid de loco profano, in quo aliquis fidelis est sepultus, 43

23 QUæstio III. Quid nomine loci sacri contineatur, quo conjugali copula violetur, illamque sacrilegam reddat extra casum necessitatis? Et quidem certum est apud omnes, locum sacrum ad hunc effectum non ita late accipi, sicut ad gaudendum Ecclesiæ immunitate. Quoniam omnia Ecclesiæ, monasteriorum, Xenodochii habitacula, est certum gaudere immunitate Ecclesiæ: cum tamen (ut dicemus) copula in illis non sit sacrilega, nec ad hunc effectum nomine Ecclesiæ includantur.

24 Primo ergo nomine Ecclesiæ quoad hunc effectum intelligitur sola Ecclesia consecrata, aut benedicta. Quia ante hanc consecrationem, aut benedictionem non est locus sacer. Sic *Sotus 4. d. 32. q. un. ar. 3. concl. 3. Navar. sum. c. 16. n. 32. Angles Floribus 1. p. de matrim. q. 6. de solvendo debito, in fin. Enrig. l. 9. demissa, c. 27. n. 5. & l. 5. de pœnit. c. 6. num. 9. in comm. lit. H.* ubi bene addit desiderari ultra hoc ut locus ille sit deputatus ad officia divina, aut fidelium sepulturas. *Emman. Sa sum. verb. Eccles. §. Pollüitur Ecclesia Graffis 1. p. decis. l. 1. c. 20. n. 28. & l. 2. c. 83. n. 10. Manuel 1. to. sum. 2. edit. c. 154. n. 13. fin. & c. 243. n. 19.*

25 Id autem spatium dicetur esse intra Ecclesiam, quod pertinet ad interius Ecclesiæ corpus a tecto interiori usque ad pavimentum, & a summa ara usque ad parietem oppositum. Quare Capellæ constructæ intra Ecclesiam comprehenduntur, ut bene ait *Vega tom. 2. sum. c. 94. casu 5.* Quia unum corpus cum ipsa efficiunt.

26 Hinc sit non violari Ecclesiam, nec esse sacrilegium, si copula habeatur supra Ecclesiæ tectum: vel ibi interficiatur homo. Quia jam locus ille est extra Ecclesiam. Atque ita docent *gloss. cap. un. de consec. Eccles. in 6. verb. Sanguinis,* ubi *Joan. Andr. num. 2. Domin. n. 8. Anch. nu. 2. vers. Tangit gl. Francus n. 6. fin. Arch. c. Ecclesiis, n. 2. de consecr. d. 1. Henric. c. fin. n. 4. de consecr. Eccles. Rosel. Consecratio, 1. n. 7. Ang. verb. Consecratio Ecclesiæ, n. 5. Silv. Consecratio 2. q. 5. casu 1. Tabiena Consec. 2. q. 5. & 6. Navar. sum. c 27. n. 256. Ledes. 2. p. 4. q. 26. ar. 2. ad fi. paulo ante 1. De casibus reservatis Suarez 3. p. q. 83. ar. 3. disp. 81. sect. 4. paulo post princ. Graf. p. 1. dec. l. 2. c. 48. n. 24. Vega 2. t. sum. c. 94 casu 5. Lud. Lop. 2. p. instr. de Euch. cap. 79. § Preterea series Eman. Sa sum. verb. Ecclesia, §. Pollüitur Ecclesia Man. 1. t. sum. 2. edit. c. 154. n. 10. concl. 9. & n. 7. concl. 6.* ubi caute intelligendus est, dum ait non violari Ecclesiam suspenso homine ex ipsius tecto si suspendatur tupra ipsum a parte exteriori, si enim a parte interiori suspenderetur, manifestum est id intra Ecclesiam fieri: atque ideo ipsam violari. Quæ omnia ego intelligerem, nisi quod est supra Ecclesiæ tectum, & sit capella ejusdem Ecclesiæ, ad quam patet aditus per ipsam Ecclesiam. Quia talis non est divisa ab Ecclesia, sed reputatur unum Ecclesiæ corpus deputatus similiter ad cultum divinum, ut in simili, n. seq. dicemus de sepultura concava Similiter si extra parietes Ecclesiæ haberetur copula, vel ex ipsis parietibus a parte exteriori suspenderetur homo, minime violaretur: nec sacrilegium esset, quia extra Ecclesiam sit, *Suar. ibi Manuel, eo. c. 154. concl. 6. n. 7.* Quod intellige, nisi sit illa pars exterior parietum, cœmeterium, tunc enim violaretur ipsum: & sacrilegium esset, juxta ea, quæ dicemus n. 40.

27 Secundo deducitur, nec reputari locum sacrum quoad hunc effectum, locum sub Ecclesia constructum: ut si ibi sit cella, caverna, aut spelunca, quia ille locus extra Ecclesiam est. Ita docent *Jo. Andr. Anch. Domin. Franc. Silv. Tabiena, Armilla, Nav. Led. Suar. §. 3. violatur, Lud. Lop. Graffis, Vega, Emm. Sa num. præc. allegati, Manuel 1. tom. Summ. 2. edit. c. 153. n. 10. concl. 9.* Quod (ut in simili diximus n. præcedenti) intelligo similiter, nisi in cavernis Ecclesiæ sit fornix, quem sepulturam concavam appellant, quia ille pars Ecclesiæ reputatur, deputatusque est ad fidelium sepulturas, sicut Ecclesiæ solum.

Tertio deducitur, quid dicendum sit, si copula habeatur, 28
aut homo interficiatur in Ecclesia porta? Si enim contingat intra limen clauluramque Ecclesiæ, id est, intra lineam quam attingunt valvæ in liminibus, erit sacrilegium, quia intra Ecclesiam heri dicitur. Secus si extra limen clausuramque Ecclesiæ. Id enim extra Ecclesiam factum censetur. Sic *Dominicus c. un. n. 6. de consec. Eccles. in 6. Imola,* quem refert, & sequitur *Silv. verb. Cœmeterium q. 3. Ang. verb. consecr. cœmeterii n. 3. Tabiena verb. consecr. 4. q. 2. Armil. verb. cœmeterium, n. 4. Manuel 1. t. sum. 2. edit. cap. 154. nu. 13.* Quibus addo, si illud extra limen Ecclesiæ pertineret ad cœmeterium, illud pollui, esseque sacrilegium ut in simili dixi n. 26.

Quarto deducitur non comprehendi nomine Ecclesiæ ca- 29
meras Ecclesiæ adhærentes. Quia illæ minime constituunt unum corpus cum Ecclesia, nec cultui divino deputantur. Ita docent *Sotus 4. d. 33. q. un. a. 3. concl. 3. Nav. sum. Lat. c. 16. n. 32. vers. 4. Angles Floribus 1. p. de matr. q. 6. de solvendo debito, in fine, Suarez 3. p. q. 83. ar. 3. disp. 81. sect. 4. §. 3. violatur Lud. Lopez 1. p. instruct. c. 82. §. At vero de redditione Manuel 1. t. sum. 2. edit. c. 154. n. 10. concl. 9. & c. 243. n. 19. Graffis 1. p. decision. 1. 2. c. 83. n. 10. Vega l. 1. sum. c. 78. casu 1. Cannedo Summ. Sacr. tract. de matr. c. 8. num. 75.*

Quinto deducitur, nec turrim, ubi cymbala Ecclesiæ collo- 30
cantur, esse locum Sacrum. Constat eadem ratione, qua de cameris Ecclesiæ id dixi num. præc. Et docent *Sotus, Nav. Angles, Suarez, Manuel, Lud. Lop. Graffis, Vega, Cannedo ibid: citati, Enriq. l. 5. de pœnit. c. 6. n. 5. in comment. lit. H.*

Sexto deducitur, quid dicendum sit de sacristia? Videtur 31
enim eam non censeri esse extra Ecclesiam: cum sit omnino illi conjuncta instar capellarum. Atque ita censent aliqui Neoterici. Sed contrarium mihi persuadeo. Quia capellæ sunt partes Ecclesiæ, unumque corpus cum illa efficiunt, ad idem munus destinatæ, nempe ad officia divina peragenda, fideleque sepeliendos. At sacristia est quasi aliæ cameræ Ecclesiæ adhærentes, nec ad idem munus deputatur, sed ad vestium sacrarum custodiam. Et constabit magis ex dicendis nu. 34. ubi pariete intermedio res dividi probavimus.

Septimo deducitur includi nomine Ecclesiæ propylæa cir- 32
cumducta intrinsecus per templi summitatem, ad pulverem tecto excutiendum. Vulgo, *las Corniias, ò andenes, quæ ay en las paredes de la Yglesia por de dentro, para sacudir el polvo dellas.* Quia sunt intra ipsum Ecclesiæ corpus ut constat.

Octavo deducitur, quid dicendum sit de choro? Constat 33
enim illum esse partem Ecclesiæ, sub eaque comprehendi ubi chorus est in loco quodam Ecclesiæ scabellis solis distincto, ac intercluso, ut solet esse in parochiis aliquibus. Quia tunc vere est pars Ecclesiæ, & in ipsius solo, nec sunt intermedii parietes, qui quasi cameram distinctam efficiant. At ubi est in loco quodam edito, & e terra prominenti, ut in monasteriis solet esse: non ita videtur constare. Quia solum est distinctum, & videtur pars diversa ab Ecclesia. Ceterum adhuc credo comprehendi. Quia intra ipsummet Ecclesiæ ambitum eisdem parietibus interclusus continetur, ad eademque officia divina destinatur. Atque hujus sent. videtur *D. Ant. 2. p. tit. 1. c. 21. § 1. circa medium,* ubi indistincte chorum nomine Ecclesiæ comprehendi docet. Atque idem censeo de loco organorum constituto in quadam chori parte, eadem ratione; sonus enim organorum est cantus, & quædam cultus divini pars.

Nono deducitur, quid dicendum sit de cellulis ad excipien- 35
das mulierum confessiones deputatis intra Ecclesiæ parietis concavum constitutis, parte in qua mulieres fatentur, tenui quodam pariete ex lateribus ducto, feneltellaque cratibus objectis clausa, divisa ab ea parte in qua est ipse confessarius? Si enim de ea parte, in qua mulieres sunt, loquamur manifestum est eam esse Ecclesiæ partem. Cum intra ipsius contineatur ambitum, nulloque pariete intermedio secernatur. Si vero de ea parte, in qua est confessarius, credo non claudi nomine Ecclesiæ, etiamsi sit intra ipsius parietis concavum, ubi enim extra esset, nulla versaretur difficultas, quamvis locus omnino patens, nullaque re intermedia divisus esset. Quia jam est extra Ecclesiam. Ducor. Quoniam paries ille intermedius separat, atque templo excludit, ita ut pars illa pro distincto domicilio habenda sit ut expresse probat textus *c. un. de consec. Eccles. in 6.* ibi: *Non unum, sed plura cœmeteria esse nosciuntur, quæ quamvis sibi coh.erentia pariete tamen medio se jungitur.* Ex quo textu parietem dividere, ita ut res sic divisæ dicantur duæ, observant *ibi gloss. verb. Pariete, & ibi Archid. fin. Anch. n. 2. notab. 5. Dom. n. fin. Francus n. 3.* Idem censeo, si partes illæ linteo cerato, aut tabella, fixis, & immobilibus sejunctæ sint. Quoniam cum ea sint fixa, & immobilia, instar parietis habentur. Secus si vello, quod complicari, & explicari potest, aut tabella ferreis nexa uncis (vulgo *con gonzes*) dividantur. Quia ea facile mobilia fixo parieti minime æquiparantur. Quod si paries quidam te-

nuis (vulgo *tabique*) secernens eas partes, portaque clavi obserata per quam aditus ex uno loco ad alium patet, adhuc credo partem Confessarii externam non claudi nomine Ecclesiæ. Quia, testibus *Anchar. Dom. n. 3. Franco proxime relatis*, paries intermedius dividit, licet sit porta per quam de uno ad alium transitur locum.

35 Ultimo insertur, Cameras instar odei ex adverso aræ maxime ad sacrum audiendum exædificatas (vulgo *tribunas*) minime claudi Ecclesiæ. Quia non deputantur ad divina celebranda, & sunt quasi Cameræ distinctæ, & Ecclesiæ adhærentes.

36 Secundo dico Ecclesiam ab Episcopo benedictam, cœptamque ipsius authoritate ædificari, claudi nomine Ecclesiæ, ut copula in ea habita sit sacrilega. Ducor, quia jam est benedicta, & authoritate Episcopi ad divina deputata. Quæ duo (ut diximus n. 24.) desiderantur, & sufficiunt, quo locus sacer fit. Secundo, quia ibi possunt jam fideles sepeliri, ut fiebat in hoc collegio Soc. Jesu, cum enim Ecclesia qua utebatur, esset concava, sepeliebantur nostri in Ecclesia ab Archiepiscopo benedicta, cœptaque ædificari. Tertio, quia est certius, & communius Ecclesiam nondum consecratam, & in qua nondum divina celebrata sunt, modo sit authoritate Episcopi erecta, gaudere Ecclesiæ immunitate, ut multis relatis tradunt *Silv. v. Loca religiosa, q. 4. a n. 7. Cov. var. c. 20. n. 4.* & multi alii, & licet (ut dixi n. 23.) latius pateat gaudere immunitate Ecclesiæ: at inde collige argumentum ad probandum esse locum sacrum Ecclesiam, quæ amplius habet, videlicet, esse benedictam, & divinis deputatam, quæ sunt duo requisita.

37 Tertio dico, si Ecclesia destructa sit, non comprehendi nomine Ecclesiæ, nec copulam in ea habitam: aut effusionem sanguinis in ea factam, esse sacrilegam, nec locum violari. Quod licet in propriis terminis in nemine invenerim: colligo ex *cap. Abbate, ad fin. de verb. sign. & c. 2. de novo oper. nunc. & cap. Hoc diximus, 16. q. 7.* quod est ex *Orig. hom. 15. ad c. 21. D. Matth.* per quos textus notat *gl. d. c. Abb. fin. & c. 2. v. Principale, de novi oper. nunt.* Ecclesiam destructam minime gaudere privilegiis concessis Ecclesiæ. Quam sequuntur omnes Doctores statim referendi: est tamen accipiendum cum hac moderatione, si authoritate superioris destructa sit ut observant *gl. c. Statutum, de elect. in 6. v. Collegiatis*, ubi *Dom. n. 3. fin. Eadem gl. reg. Privilegium, 7. v. Privilegium de reg. Juris, in 6.* ubi *Franc. n. 4. gl. d. c. Et hoc diximus, v. Destructa Inn. c. 2. de novi oper. nuc. n. 2. init.* ubi *Ant. n. 4. init. Anch. n. 6. initio, Abbas n. 5. Henric. nu. 6. Alex. l. inter stipulantem, §. Sacram. n. 13. ff. de v. oblig. Jason n. 30. Additionator ad Bartolum in editione antiqua ibi, v. Eccles. Felin. c. Cum dilecta, num. 21. de rescr. Rosella v. Privilegium n. 4. Ang. v. Civitas, n. 1.* ubi *Silv. q. 2. Tab. q. fin. Armilla n. 2.* Quare tunc Ecclesiam minime gaudere immunitate, posseque inde extrahi reum, tradunt *Remigius de immun. Ecclesiæ, ampl. 20. Jul. Clarus pract. crim. lib. 5. recept. §. fin. q. 30. n. 6. vers. Majus est dubium. Farin. in sua praxi q. 28. n. 70. Paz pract. 1. tom. p. 5. c. 3. n. 38.* Rursus intellige non gaudere privilegiis Ecclesiæ, si auctoritate superioris sit destructa, quando ita destructa est, ut nulla reædificationis spes subsit: si enim diruatur, ut iterum ædificetur in eodem loco, gaudebit utique, ut bene docent *Alex. Jas. Fel. Additionator ad Bartolum, Armilla proxime citati.* Quamvis *Remigius, Julius Clarus, Farinacius, & Paz* videantur oppositum sentire: dicunt enim non gaudere, quando superioris authoritate, aut sine spe reædificationis, diruta est. Imo qualitercumque diruta sit, etiam absque superioris authoritate, absque reædificationis spe, non fruentur Ecclesiæ privilegiis, quia jam nulla ratione potest Ecclesia appellari. Sic *Baldus in proœmio ff. veteris n. 5. Felinus proxime relatus.* Et videntur sentire *Remigius, Julius Clarus, & Paz*, dum disjunctive dicunt non gaudere, si authoritas superioris interveniat, aut spes reædificationis desideretur.

38 Quarto dico, si laxetur Ecclesia, parte aliqua sibi addita, aut capella, licet ea non benedicatur comprehendi nomine Ecclesiæ sicque copulam ibi habitam esse sacrilegam. Ducor, quia semper pars addita efficitur unum cum priori, & eadem Ecclesiæ forma perficitur, quare gesta in ea, vere intra Ecclesiam fieri dicuntur. Unde merito *l. Quæ religiosis 3. 44. ff. de rei vindic.* dicitur quæ religiosis adhærent, religiosa esse. Unde *Gloss. c. 1. v. Altare de consec. Eccles.* ait si aliquid addatur altari consecrato, hoc non execrari, sed sacrum tamquam dignius trahere ad se non sacrum: per *c. Quod in dubiis, eod. t.* id decernens in oleo non consecrato addito consecrato, ubi *Gloss. fin. in fin. & Ant. in fin.* inferunt, dum vestes sacræ reficiuntur, minime desiderari filum, aut pannum additum consecrari. Et quamvis existimem rem illam additam non effici vere sacram, quia decisio *d. c. Quod in dubiis*, procedit in solis liquoribus, & in iis, quæ commistione confunduntur, ut tradunt *Ant. d. c. 1. n. 11. & ibi Abbas fine. Idem d. cap. Quod in dubiis, fine.* At negari nequit gaudere sacræ privilegiis, dum sic unita manet.

Gravius autem dubium est de oratoriis. Et quidem si de ora- 39
toriis stricte loquamur, & quæ proprie talia dicuntur, quia sunt hospitale, aut eremitorium quædam Ecclesiæ privata authoritate absque Episcopi licentia erectæ: & alia in domibus privatis fundata, constat apud omnes ea minime esse loca religiosa, nec Ecclesiæ nomine comprehendi. Quia possunt ad nutum Fundatoris ad profanos usus redire, quamquam ex Episcopi licentia in eis celebretur. Et ita colligitur ex *c. fin. de consilius,* ubi deciditur oratoria privata non subesse Episcopi potestati, quoad jus visitandi, procurationem exigendi: juncto *c. 1. §. Deinde liceat, eod. tit. in 6.* ubi dicitur Episcopi esse Ecclesias, & alia loca religiosa, ac pia visitare. Atque ita hæc loca tanquam profana non gaudere Ecclesiæ immunitate docent *Innoc. cap. Inter dilectos, n. 2. de donat. Abbas cap. fin. nu. 4. de censibus, & cap. Patentibus, n. 3. de privileg.* & multos alios referens *Felinus, c. De quarta, n. 9. de præscr. Ang. v. Immunitas, num. 26. Silv. v. Loca religiosa, q. 2. & Interdictum, 6. q. 5. Immunitas 1. q. 1. fin. Tab. v. Immunitas, q. 14. n. 15. Armil. v. Immunitas, num. 19. Remigius* quem refert, & sequitur *Julius Clarus l. 5. recep. in pract. crimen. §. fin. n. 6. num 6. vers. Sed quid dicendum. Greg. Lop. l. 4. verb. Alla Iglesia, tit. 11. p. 1. Paz pract. tom. 1. part. 5. c. 3. §. 3. n. 30.* Ceterum difficultas est de Ecclesiis Xenodochiorum, atque eremitoriorum, quæ consecratæ, aut benedictæ nondum sunt, at authoritate Episcopi sint erectæ, ad cultumque divinum destinatæ? Videntur enim loci nomine nequaquam comprehendi. Quia res hæc est odiosa, & pœnalis: at statutum puniens delinquentem in Ecclesia, non afficit delictum admissum in basilica nondum consecrata, quæ proprie Ecclesia non est, ut testantur *Abbas rubr. de consecr. Eccl. n. 3. Ang. v. Ecclesia, n. 3.* Præterea quia n. 24. cum multis diximus, desiderari, ut locus sacer fit quoad præsentem effectum, benedictionem, aut consecrationem Episcopi. Et facit *Cord. Summ. q. 12.* ubi dicit religiosorum habitacula non esse sacra, ita ut copulam sacrilegam reddant: eo quod non sunt benedicta. Atque ita oratoria non consecrata, nec benedicta non dici loca sacra quoad hunc effectum, testantur *Enriq. lib. 5. de pœnit. c. 6. n. 5. in comm. lit. H. & lib. 9. de missa, c. 27. n. 5. Emm. Sa sum. verb. Ecclesia, §. Pollüitur Ecclesia, Manu. 1. to. sum. 2. edit. c. 154. n. 13.* Ceterum existimo dici loca sacra, & nomine Ecclesiæ comprehendi, Primo, quia jam dicuntur loca religiosa, nec ad usus profanos redire possunt, ut habetur *c. Ad hæc, de religiosis domibus*, & eæ Ecclesiæ ad cultum divinum, ut ad Missas celebrandas deputantur, & authoritate Episcopi, ita ut perpetuo cultui divino emancipata sint, quę deputatio Episcopi authoritate facta locum benedictionis supplet, estque velut consecratio quædam. Secundo: quia hæc loca gaudent immunitate Ecclesiæ tanquam sacra, & religiosa, ut docent *Abbas. Ang. Silv. Tab. Armil. Greg. Lop. hoc mallegati. Navar. sum. c. 25. n. 17. Cov.* multos referens 2. *var. c. 20. n. 4. Paz pract. tom. 1. p. 5. c. 3. n. 27. & duplici seq.* Tertio, quia verior opinio habet statutum puniens delinquentem in Ecclesia, comprehendere admittentem delictum in Basilica authoritate Episcopi erecta, nondum tamen consecrata: ut fit is, cui Ecclesiæ ingressus interdictus est, in ea celebret, efficitur irregularis, ut tradunt *Calderinus de Ecclesiastico interdicto, membr. 2. vers. quid finis. Dom. c. 15. §. fin. n. 16. de sent. excom. in 6. Silv. Interdictum 6. q. 5. Navar. super §. In Levitico, notab. 32. n. 3.* Atque ita hanc sententiam videtur clare tenere *Gloss. c. fin. verb. Consecrata, de consecr. Eccles.* ubi illius textus decidentis Ecclesiam non consecratam pollui semine, aut sanguine, rationem reddit. Quod locus ille authoritate Episcopi divino cultui dicatus sit: & semel Deo dicatum, ad profanos usus redire non debeat. Tandem rogabis, an si de authoritate Episcopi minime constet, & sic sint hæc loca sacra, nec ne, quid præsumi debeat? Dic breviter, non sufficere ad authoritatem adfuisse, præsumendum, ibi esse oratorium celebrariae de Episcopi licentia, & id hospitale nomine alicujus sancti appellati, ibique esse campanam, sed oportere ibi cymbalum esse super tectum erectum, publiceque pulsari. Id enim in oratoriis privatis esse nequit: juxta *c. Parentibus, de priv.* & docent *ibi Ant. num. 2. Abb. n. 1. Idem Abbas c. Inter dilectos, n. 8. de donat. Felin.* multis citatis, *c. De quarta, num. 12. de præscr. Silv. verb. Loca religiosa, q. 3.* late *Mascardus de prob. concl. 867. n. 3. & 4.* Similiter idem præsumitur in dubio, si ibi publice celebretur, omnibus indifferenter ad divina audienda admissis. Ita docent *Archid. cap. Nemo, ad medium, de consecr. d. 1. Abbas de duplici proxime citato, & cap. fin. 2. de censibus, Mascard.* aliis relatis, *d. concl. 869. n. 1. & 2.* Idem ex cursu temporis, ut si decennio ibi publice celebretur, ut cum multis probat *Menochius de præsump. l. 3. præsump. 132. nu. 51.*

Quinto dico cœmeterium ab Episcopo benedictum, repu- 40
tari locum sacrum, efficereque ut copula in eo habita, & sanguinis injuriosa effusio in eo facta, sacrilega sint. Constat. Quia (ut dixi n. 21.) quoties actus adversatur rei ad quam locus benedicitur, ut officiis divinis, aut fidelibus sepeliendis, est sacrilegus, at in cœmeterio semine, aut sanguine polluto neque aliquis sepeliri, donec reconcilietur: ut constat ex *c. unic. de consecr. Eccl. in 6.* Ergo sacrilegum est. Præterea, quia eodem modo, quo Ecclesia, polluitur semine, aut sanguine: ut constat ex *eod. c. un.* & docet *ibi gl. Polluto. Archid. ibi n. 3. Abb. c. Consuluisti, n. 2. de consec. Eccl. Henric. c. fi. n. 2. eod. tit. Pal. 4. d. 18. q. 8. ar. 4. nu. 19. & 20. D. Ant 3. p. tit. 12. c. 6. §. 7. Angel. verb. Consecratio cœmeterii, num. 1. Silv. ver. Cœmeterium, num. 1. & quæst. 1. num. 2.* ubi *Armilla n. 1. Tabien. Consecratio 4. num. 7. init. Lex final. in fine, t. 10. part. 1. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 154. num. 13. concl. 12.* Atque ita comprehendi nomine loci sacri, & pollui tradunt *Pal. 4. d. 13. quæst. 3. ar. 2. num. 14. Navarr. Summa bisp. cap. 28. edit. ad num. 5. cap. 16. & lat. cap. 16. n. 3. vers.*

Interrogatus autem. Corduba sum. q. 12. Enriq. l. 5. de pœn. c. 6. n. 5. in com. lit. H. Petr. de Ledes. sum. sacr tr. de Eucharistia, c. 20. Manu. 1. t. sum. 2. edit. c. 207 fi. Quare minor qualiter *Sot. 4. d. 32. q. un. ar. 3. concl. 3. Anglis floribus 1. p. de matr. qu. 6. de solvendo debito fi. Graffis 1. p. decision. l. 2. c. 83. n. 10. Manu. 1. to. sum. 2. edit. c. 243. n. 19. Vega to. sum. cap. 78. casu 1 Cannobo sum. sacr. tr. de matr. c. 8. nu. 75.* afferant nomine loci sacri non comprehendi cæmeteria, nec in illis esse violationem, sicut nec in cameris adjacentibus Ecclesiæ.

41 Sexto dico, clausura religiosorum, id est, spatium illud inter parietes, & columnas sub fornicibus constitutum, ab atrioque disjunctum externo, si benedicta sint, religiosisque sepeliendis destinata, comprehendi nomine loci sacri. Quia benedictionem, & deputationem ad divina habent, sic *Corduba sum. q. 12.*

42 Septimo dico, cetera religiosorum habitacula, ac officinas, quamvis Ecclesiastica immunitate gaudeant, minime tamen dici loca sacra, quæ sanguinis, aut seminis effusione violentur, aut reconciliatione indigeant, aut hæc sacrilega reddant. Quia nec Episcopi benedictionem, nec ad divina deputationem habent. Atque ita docent *Nav. sum. hisp. c. 28. addit. ad n. 3. c. 16. lat. c. 16. n. 3. vers. Interrogatus autem. Corduba sum. q. 12. Enriq. l. 5. de pœnit. c. 6. n. 5. in comm. lit. H. Manuel 1. tom. sum. q. 2. edit. c. 207. n. 3. Graffis p. 1. dec. l. 2. c. 83. nu. 10.* Addunt & bene *Corduba & Enriq.* id esse verum, licet Prior conventus singulis noctibus benedicat dormitorium, & aqua lustrali aspergat. Et *Corduba* bene addit etiam si sit altare ad celebrandum ibi constitutum. Quia reputabitur tunc ut privatum oratorium.

43 Tandem dico, quamvis attento jure civili, *l. 2. C. de relig. & sumpt. fun.* quilibet locus efficiebatur religiosus, si in eo contestiente domino, fidelis sepeliebatur; tat secus est jure canonico attento, quare locus ille nec erit sacer, nec nomine Ecclesiæ comprehendetur, Quia ad id authoritas Episcopi desideratur, *c. Ad hæc, de relig. domibus*, nec laicis permittitur locum sacrum constituere, Ita docent *gl. cap. In Ecclesiastico, ver. Si terram, 13. q. 2. & ibi Archid. ad fin. Innoc. c. pen. num. 1. de sepult. & ibi Abbas n. 4. idem Abbas d. c. Ad hæc n. 3. & c. Quanto, n. 10. de judic.* ubi *Decius n. 9. Fel n. 4. Card. clem. 1. in prine. q. 7. de sepult. Silv. v. Loca religiosa, q. 1. Perat. l. Mævius, §. In fundo, n. 5. ff. de legatis 2, Faber, Aret. Imola, Mathesilan.* quos refert, ac sequitur *Padilla l. Jubemus, n. 16. de transact.*

DISPUTATIO XVI.

Utrum ratione modi vel situs reddatur vitiosus congressus conjugalis?

SUMMARIUM.

Explicatur modus naturalis congressus quoad situm, num. 1.
Referitur quædam sententia, 2.
Sententia Authoris, 3.
Nil eorum, quæ conjuges servato vase naturali efficiunt, est mortale, 4.
An his modis impediatur generatio, aut seminis retentio, & quid si aliqua semina non retineret, n. 5. ubi an interrogandi sint Pœnitentes de hoc?
Quid, si ita complentur conjuges gratia sobolis impediendæ, vel ne ita certa sit, 6.
An aliquando culpa vacet sic congredi, 7.
An conjugi petenti modo, seu situ non naturali, teneatur alter reddere, 8.
Solvuntur argumenta, 9.

1 AD circumstantiam modi, de qua præsens est disp. pertinet tractare, quando naturalis usus minime inter conjuges servatur variato legitimo vase: vel semine extra illud effuso, sive data opera, sive ex naturali impotentia post matr. contingente: vel quando ante utriusque, aut alterius seminationem se a copula retrahunt. Et quoties aliud a conjugibus efficitur, quo prolis conceptioni obstetur, vel abortus sequatur. Et quando servato legitimo vase solus situs modusque naturalis concumbendi variatur. Et de hoc est præsens disp. De reliquis autem, subsequentibus disputationibus sermo erit. Præmittendum vero est, qualis sit modus concumbendi naturalis quoad situm. Is autem est, si mulier succuba, vir autem incubus sit. Quia modus hic aptior est effusioni virilis seminis, receptionique in vas femineum, ac retentioni: & congruentior est rerum naturæ, cum vir agens, semina vero sit patiens. Quamobrem omnis deviatio ab hoc modo adversatur aliqualiter naturæ: eoque magis, quo fini huic situs contrarius est. Unde minor est deviatio, dum conjuges a latere, aut sedendo, standove, conjunguntur: pessima tamen, dum præpostere, pecudum more, aut viro succumbente: Ita advertit *Abul. c. 5. Matth. q. 227.* & omnes, quæstio igitur est de qualitate culpæ, dum vir inverso situ, aliquo modo ex dictis, servato tamen vase debito, uxorem cognoscit? Duplex est sententia. Prima culpam lethalem constituit in omnibus his modis, aut in aliquibus. Ducitur 2. Quia is non est usus uxoris, ut sic, uxor enim est ad solum naturalem concubitum. Et confir, quia hi modi naturæ ordini adversantur, nec ita certa est proles. Secundo, quia est abusus Sacramenti conjugii, constat autem perversionem usus, & ritus etiam accidentalium in aliis Sacramentis, sacrilegam lethaliter esse. Tertio, specialiter de modo præpostero probatur. Quia cum natura hunc modum bestiis præcripserit; vir eum appetens, illis similibus efficitur. Quarto, quando vir succubat. Quia modus hic naturæ ordini prorsus adversatur, cum repugnet receptioni seminis in vas femineum, retentionique, ac effusioni viri. Præterea, non solus situs, sed & personæ conditio variatur: est enim naturale viro agere: feminæ vero pati: vir autem succumbens, quantum est ex ipsa situs forma, patitur, & femina incubans agit: quam mutationem quantum natura ipsa abhorreat, quis non videat? Quinto, quia in *hist. scholast. c. 31. super Genes. ex Method.* dicitur diluvii causam fuisse feminas in insaniam versas: abusas viris, illis incumbentibus, his succubis. Et confirmatur. Quia teste *Abulense ſtatim referendo*, aliqui de hoc modo congressus exponunt locum illum *D. Pauli Rom. 1. Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum, qui contra naturam est*, Quod inter peccata lethalia *Paulus* ibi annumerat. Ideo hanc sent. tuentur de omnibus modis: *Præpositus rubr. de sponsi. n. 13. Monald. sum. tr. de matr. tit. de bonis matr. ad fin. Alex. Angelicus*, quem refert, dicens ejus opinionem esse tutiorem, *Henric. c. Inquisitioni, n. 12. de sent. excom. Palud. 4. d. 21. q. 3. ar. 2. n. 15.* quando necessitas non urget, sed sola voluptas est causa. Et *Abulens. c. 5. Matt. q. 227.* loquens de modis concumbendi a latere, sedendo, aut standendo, ait, ubi causa justa abest, nil certum definiri posse, at magis ab iis cavendum esse, tanquam a culpa lethali: & *q. 228.* loquens de modo præposterо bestiarum more, dicit esse lethalem, quando sine causa desideratur, ob solamque voluptatem talis modus exercetur, & *q. 230.* dicit modum quo femina iacubat, semper esse mortalem. Idem videtur tenere *Vincent. in Specula mor. t. 3. l. 3 d. 2. p. 9. ad fin.* ubi connumerat inter peccata contra naturam hos modos, & ita clare videtur sentire esse culpam mortalem. Idem videtur sentire *Philar. de offic. sacerd. to. 1. p. 2. l. 4. c. 19. paulo post princ.* licet enim non explicet sit mortale necne, at inter plurima alia peccata, quæ manifeste sint mortalia, refert si modo indebito, aut extra vas conjuges copulentur. Et aliquando esse lethalem culpam videntur sentire *D. Th. 4. d. 31. in fine, in expositione litteræ: & Rainerius 2. p. sum. t. de matr. c. 13.* dicunt enim hos modos non semper esse culpam mortalem. Et *D. Ant. 2. p. tit. 5. c. 4. in princ.* dicit aliquando, licet non semper, esse lethalem culpam. Et ipecialiter modum præposterum esse lethalem, docent *Alensis 2. p. q. 171. memb. 3. Alensis sum. 2. p. l. 8. tit. 9. a. 2. q. 1. Nic. de Orbel. 4. d. 32. q. un. §. 7. Alex. in suo Enchir. 2. p. in 6. præcepto*, ubi de debito conjugali, *§. si vir a posteriori, & Veracr. 3. p. Specul. c. 15. concl. 2.* dicit se suspicari esse mortale. Addunt que *Alensis, Alensis, & Alex.* minime causam justam excusare a culpa, bene tamen illam extenuare. Et de modo, quo femina est incuba, tenent idem *Henr. d. c. Inquisitioni, n. 15. Alensis d. a. 2. q. 2. Nicol. de Orbell. d. q. q. un. §. 8. Veracr. d. concl. 2.* & dicit esse probabile *Enriq. l. 11. de matr. c. 16. n. 6.* nec abhorrent *Cas. sum. v. Matr. c. ult. de peccatis in usus ejus vers. 2. c. & Niderin. sua sum. præcep. 6. c. 4. vers. Dicium est tertio injungo sine illius capitis ibi*, in præfatis casibus.

Secunda sententia (cui tanquam longe probabiliori adhæreo) ait, nullo ex his modis committeri conjuges servato vase legitimo, esse culpam mortalem: sed gravem venialem, increpandosque esse graviter conjuges ita cocuntes. Prob. 1. Quia semen non recipitur in femineam matricem per insusionem, seu descensum, sed per attractionem, eo quod sit virtus naturalis in ea semen attrahens, sicut in stomaco respectu cibi. Quod vel ex eo constat, quod refert *D. Th. quodlib. 6. a. 18.* nempe, cum femina quædam in eodem lecto cum patre accubaret, ab ipso semen in somnis emissum attraxit, gravidaque inde effecta est. Idemque in balneis accidisse, in quibus erat semen a viro decisum, attestantur DD. graves. Et hanc virtutem attractivam esse in matrice, docet *Arist. l. 2. de gener. animal. c. 4.* Ergo nullus corporis situs in concubitu obstat generationi, ac proinde non constituet culpam lethalem. Cum servetur finis matr. legitimus, qui est posse sobolem concipi, & inordinate quærere delectationem intra matr. limites, solum sit culpa venialis: ut probavimus hoc l. disp. 11. n. 4. Et confir. quia si matrix semen distans attrahit, a fortiori sibi contiguum attrahet, ac retinebit. Secundo, quia est abusus, ac naturalis ordinis perversio in solis accidentalibus, cum vas legitimum servetur, sicut dum conjuges gratia voluptatis captandæ copulantur, nec tenentur conjuges majorem prolis certitudinem curare, satis est illius conceptionem non impedire. Quare hanc tenent *Albert Magnus 4. d. 31. a. 24.* ubi *Suppl. Gabr. q. un. a. 2. concl. 6. Joan. de Fribug. sum. confes. l. 4. tit. 2. q. 47. Cas. 2. 2. q. 154. a. 1. circa solus ad 4. §. Ad primum ergo dubium dicitur, §. Ad secundum de modo, & n. 12. ad secundum dubium D. Ant. 3. p. t. 1. c. 20. §. 3. Gerson 2. p. in comp. Theol. tr. cui sit confessio facienda, alph. 27. lit. G. Victoria sum. de matrim. nu. 273. Petr. de Soto, lect. 16. de matr. 5. Finan. sequitur modus. Nav. sum. c. 16. nu. 42. & c. Conſideret in princ. n. 84. de pœn. d. 5. Sotus 4. d. 31. q. un. a. 4. ad fi. ubi Ovian. q. un. prop. 3. Palac. 4. disti. 32. disp. 1 fol. 709. vers. At vero Th. Led. 2. p. 4. q. 51. a. 6. propol. 7 Margarita confess. 6. præc. fol. 80. col. 2. Alecozer summa c. 20. fol. 71. §. Mirar mugeres Metina l. 1. summ. cap. 10. §. 13. fol. 132. vers. 2. Rosella, verb. Debitum, num. 11. & vers. Luxuria, num. ultim. Ang. vers. Debitum, nu. 25.*

n. 25. ubi Silv. q. 4. Tab. matr. 3. qu. penult. Armilla v. Luxuria, num. 5. & v. Matr. n. 68. Graffis 1. p. decis. l. 2. c. 82. n. 17. Bart. a Ledes. disp. 28. de matr. dub. fin. & de pœnit. disp. 12. in interrogat. circa 6. præceptum. Petrus de Ledes. de matr. q. 49. ar. 6. dub. 2. concl. Enriq. l. 11. de matr. c. 16. n. 6. Marienzo l. 5. recop. tit. 1. rubr. n. 108. Humada super lib. 1. t. 1. par. 1. gl. 2. n. 16. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. cap. 243. fine Vivald. candelabro sacram. 1. p. de matr. n. 261. Vega 1 t. sum. c. 78. casu 2 Emm. Sa summ. v. Debitum conjugale, v. Nullus modus. Lud. Lop. 2. p. instr. c. 87. fine, & cap. 82. vers. Igitur loquendo. Quamvis enim cum temperamento loqui videantur, illud omnes admittunt, ut videbimus, n. 5.

4 Hinc deducitur, nil eorum, quæ conjuges in copula efficiunt, servato legitimo vase, culpam venialem excedere. Quia generatio minime impeditur. Ita docent *Albert. Magn. Suppl. Gabr. Joan. de Friburgo, Angelus, Silv. Gerson. Sotus, Ovand. Marienzo, n. 109. Margarita conf. Vivaldus, Vega, ubi eos retuli n. præced.*

5 Temperatur tamen nostra secunda sententia, nisi tali concumbendi modo generatio impediatur, quia semen receptum intra vas femineum minime retinetur, sed foras expellitur ratione modi extraordinarii concubitus. Ita temperant *Cajet. Rosella, Angelus, Armilla, Palacios, Medina, Graffis, Petrus de Led Barth. a Led. Enriq. Marienzo, Lud. Lop. Vega casu num. 3.* Sed hæc moderatio vera est in se, si enim impediretur generatio, manifestum esset lethale scelus contra naturam; at non est necessaria. Quia nec impeditur generatio, nec effusionis seminis extra vas est periculum ratione virtutis attractivæ matricis, ut probavi n. 3. Atque ita minime impediri generationem docent *Albertus Magnus, Cajet. Silv. Victoria, Sotus, Navar. c. Conſideret, eod. n. 84. Palacios, Alcozer, Margarita, Enriquez, Petrus de Led. Barth. a Led. quos n. 3. retuli.* Quare ii experientia constaret in eo concumbendi modo semen minime retineri, sed effundi, ob feminei vasis nimiam humiditatem, vel laxitatem, esset peccatum mortale juxta omnes, ut bene advertit *Lud. Lop. 1. p. instr. c. 82. §. Igitur loquendo, & c. 87. fine.* Quia impeditur generatio, quæ est finis principalis matrimonii. Contrarium tamen ego intelligerem, si effusio illa non ex concumbendi modo, sed ex aliquo morbo consurgeret. Quia non est situs causa effusionis, & præter intentionem conjugum dantium operam rei licitæ evenit, nec impedimentum retinendi est perpetuum: de qua re latius dicemus disp. seq. Id tamen observandum est, ex aliqua seminis effusione extra vas, non concludi variationem debiti situs esse mortalem, Quia solet matrix aliquando parum seminis retinere, quod ad generationem sufficiens sit, expulsio reliquo. Sic observant *Silv. & Hamada*, ubi num. 3. eos retuli. Ex his infero, confitentem situm extraordinarium in concubitu, servato legitimo vase, non esse necessario interrogandum de effusione seminis extra vas evenerit nec ne, vel expertus ne sit illius periculum. Quia hæc non frequenter, sed rarissime accidunt.

6 Quamvis autem variato situ convenirent conjuges, ne ita certa sit proles, crederem eos non esse lethalis culpæ reos. Quia non tenentur certiorem modum ad prolem concipiendam eligere, sicut minime tenentur uti mediis aliquibus faciliori conceptioni deservientibus, sed suæ obligationi satisfaciunt, si nihil efficiant, quo conceptioni obstetur, nec generandi prole desiderium est mortale: ut probavi hoc 9. lib. disp 8. n. 10. Ita docet *Palacios 4. distinct. 32. disp. 1. fol. 709. vers. At vero Thomæ.* Quod si animus esset omnino impedire fœtum, licet concumbendo his modis minime impediatur, esset peccatum mortale contra naturam. Quia cum actus internus, & externus sint ejusdem malitiæ, ficut impedire generationem est mortale contra naturam illius actus, quem natura ad prolis conceptionem retulit, ita velle impedire erit, ita *Supplem. Gabriel. 4. disti. 31. q. un. ar. 2. post 8. concl. 4. Led. 2. p. 4. q. 51. ar. 6. prop. 7.*

7 Id autem monuerim aliquando inversionem debiti situs omnino culpa vacare: videlicet, ubi non captandæ voluptatis gratia accidit, sed aliqua justa causa intercedente, ut quia dispositio corporis aliud non patitur ob pinguedinem viri, vel propter suffocandi fœtus periculum in prægnante: vel alia simili causa honesta occurrente. Sic *D. Tho. 4. d. 31. in fine, in expos. lit.* quamvis enim solius dispositionis corporis aliud non patientis meminerit, at DD. extendunt ad alias justas causas. Ita *Supplem. Gabriel. Jo. de Friburgo. D. Anton. Silvest. Armil. Cajetanus in sum. verb. Matrimonium, c. ult. de peccatis in usu ejus, vers. 2. cap. 2. & 2. q. 154. ar. 11 dub. 4. §. Pro prima tamen objectione, & ar. 1. circa solut. ad 4. §. ad 2. de modo Margarita confess. Alcozer, Barth. a Led. Veracruz. 3. p. Speculi, ar. 15. concl. 3. Enriq. Viv. Marienzo, Graffis, Lud. Lop.* ubi eos retuli n. 3. & immerito id dixit sub dictione, Forte, quasi dubitans, *Ledes. 2. p. 4. q. 51. ar. 6. propol. 7.*

8 Difficilius tamen dubium est, an conjugi exigenti modo indebito quoad situm, teneatur aut licite possit alter reddere? Et quidem, quando sic concumbere esset lethale, propter effusionis seminis extra vas periculum: juxta dicta n. 5. non dubito esse mortale, etiam reddere, ut bene *Lud. Lop. 1. p. instruct. c. 82. §. Igitur loquendo*, & constat ex iis, quæ dixi hoc lib. disp. 6. n. 16. talis enim congressus est prohibitus ob

circumstantiam ipsi actui inhærentem, est enim contra naturam, atque perinde ac si vir peteret ut uxor cooperaretur sibi ad pollutionem. Quare nullus timor etiam mortis excusaret tunc feminam reddentem, juxta ea, quæ tradam disputatione sequenti, n. 3. Similiter ubi vir petens esset immunis culpæ, juxta dicta n. præc. tenebitur uxor reddere. Quia non est unde excusetur, cum modus ille tunc nec inhonestus nec vitiosus sit. Quando autem est venialis culpa in exigente, est tota difficultas. Quidam enim ex iis, qui censent esse culpam venialem variare situm, dicunt uxorem non teneri reddere. Quia non petitur debitum modo debito, & naturali. Sic *Armil. v. Debitum, n. 7. Palacios 4. d. 32. disp. 1. fol. 712. casu 10.* licet non omnino aperte, dicit enim conjugi petenti modo non naturali, minime teneri alterum reddere: atque ita non exprimit num loquatur de modo omnino non naturali, an de solo non naturali quoad situm, ac ratio quam reddit, scilicet, quia culpa est accessus, utrumque modum comprehendit: & de utroque in ea disputatione egerat. Idem tenet *Barth. a Led. de matr. dub. 71. concl. 4.* & videtur tenere *D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 7.* ubi dicit conjugi quocumque fine petenti, modo naturaliter petat, teneri alterum reddere. Et clare §. 3. dicit confulendum esse uxori ne reddat viro petenti non servato legitimo situ. Item videtur sentire *Lud. Lop. hoc eod. num. citatus*, ait enim non esse mortale sic reddere, & forte nec veniale, si timore ducta uxor reddat. Imo *Adrian. 4. q. 14. de matr. vers. Pro hujus succincta*, ait teneri mulierem negare debitum viro petenti modo innaturali: subticet tamen qualiter modum non naturalem usurpet. Et negari non potest hoc esse probabile, eo vel maxime, qua est probabile variationem situs esse culpam mortalem in petente. Quare bene dixit *Enriq. l. 11. de matr. cap 16. n. 6.* vix teneri uxorem reddere viro succubenti. Et subdit rationem *in comment. lit. S.* propter probabilem opinionem gravis culpæ. At probabilius mihi est teneri reddere. Ducor, propter doctrinam traditam hoc lib. disp. 6. n. 6. ubi dixit teneri conjugem reddere, quando exigens solam venialem culpam admittit. Quod expresse docet *Petrus de Soto lect. 16. de matr.* nam §. *Finem sequitur modus*, ait variationem situs esse culpam venialem: & §. *ult.* dicit quoties sola est culpa venialis in petente, teneri alterum reddere. Idem videtur sentire *Cas. 2. 2. q. 154. ar. 1. circa solutionem ad 4. §. Ad 2. de modo*; ubi opponens non esse uxorem ad talem concubitus modum, id negat, dicitque uxorem esse ad omnem actum, ex quo sequi potest generatio, quamvis actus modo naturali sit principalis.

Ad argumenta n. 2. proposita resp. ad 1. constat ex dictis n. 9 præc. in fine. Ad confirm. dic modum esse innaturalem solum accidentaliter, cum non contrarietur principali fini matr. nec tenentur conjuges curare omnimodam prolis certitudinem, ut probavi n. 6. Ad 2. nego anteced. non enim est abusus sacramenti, nec ejus ritus variatur, cum actus conjugalis minime sacramentum sit. Ad 3. fateor simile bestiis offici, cum tamen id sit in modo quodam accidentali, non constituit culpam lethalem. Ad 4. nego adversari infusioni, & receptioni seminis, ut constat ex dictis n. 3. & illa variatio est accidentalis, at secundum situm, quare non excedit culpam venialem. Ad 5. *Pereira l. 8. in Genes. n 9.* & 10. optime confutat, quod eo in loco docet *Methodius*: unde non fuit ea diluvii causa. Ad confirmationem negatur ea expositio: sed *gl. ordinaria, & Nicolaus de Lyra* ibi explicant, quia feminæ mutuo polluebantur, secummet concumbentes, ac masculi cum masculis: & eodem modo explicat *gl. interlin. ibi.*

DISPUTATIO XVII.

Utrum sit culpa lethalis, quoties in actu conjugali, vase naturali omisso, innaturale usurpatur, aut utriusque conjugis semen data opera non simul, vel extra legitimum congressum emittitur: aut ex impotentia supervenienti extra vas effunditur.

SUMMARIUM.

Quotuplex sit quæstio disputanda, num. 1.
Culpa lethalis est contra naturam, intra vas innaturale copula, 2.
Quid in femina consentiente, vel quando semen vult extra maritus effundere, 3.
Quid si maritus velit sodomitice copulam inchoare, non animo consummandi, nisi intra vas naturale, num. 4. refertur quædam opinio, & confutatur, 5.
Quid si in accessu conjugali vir in cogitatione alterius feminæ, aut femina, alterius viri delectatur, 6.
An sit mortale, quoties non simul conjuges semen consulto effundunt; proponitur ratio dubitandi, n. 7. ubi junctio n. 8. & 9. an sit necessaria ad generationem simultanea effusio.
Consulendum est ut curetur simultanea effusio, etiam se provocando, 8.
Non est necessario: & conjux prius seminans, non tenetur alium expectare, 9.
Quid si vir se provocet ad prius seminandum, 10.
Num fas viro sit continuare concubitum, ubi prius seminavit, ut femina seminet, 11.

Voluntaria seminis virilis, aut feminei fusio extra vas, est mortalis, 12.

Quid, ubi parva est distillatio, aut ex naturæ festinatione, 13.

Quid de involuntaria ex tactibus consurgente: & obligatione semen receptum retinendi, n. 14. *remissive*.

An liceat in aliquo eventu gratia vitæ tuendæ procurare pollutionem: & quare nunquam liceat, 15.

Quid, si pollutio jam e lumbis decisa sit, vel fluere incœperit, 16.

An sit mortale distillationem, & commotionem notabilem procurare, 17.

Quando impotentia matr. subsequitur, & non est spes fore, ut vir possit intra vas seminare, an liceat congredi, 18.

An liceant tunc tactus, & similiter quando impotentia præcedit, sed medicamentis, ut incisione, auferri potest, quam uxor recusat, 19.

Quid, ubi est spes fore ut aliquando possit vir intra seminare, 20.

Quid de impotentia ratione senectutis, & ubi vir credit fore ut illa vice non possit intra seminare, sed extra, 21.

Quid si femina recipiat, minime tamen semen retineat, 22.

Num continuo si semen soleat expelli damnanda sit copula, 23.

Quid, ubi dubium est num impotentia seminandi intra vas, aut semen retinendi post matrimonium contingens, sit perpetua: num. 24. *Et quid, quando conjux potest coire sed non seminare: vel femina non potest pavere absque periculo suæ vitæ, vel prolis, vel quando non potest probari impotentia*, 25.

1 TRiplex in hac disput. involvitur quæstio. Primo quando vas innaturale uiurpatur. Secundo, quando seminatio utriusque conjugis non est simultanea: vel data opera est extra vas legitimum. Tertio, quando est extra, ratione impotentiæ.

2 Quæstio I. An semper sit culpa lethalis; ubi vase naturali omisso, in naturali conjuges abutuntur? Et quidem ubi in vase innaturali copula consummatur, aut est animus consummandi, manifesta est sodomia lethalis, peccatumque contra naturam. Quia adversatur fini naturali illius copulæ, qui est prolis generatio. Nec uxor ad similem copulam, sed ad solam copulam intra vas legitimum, uxor est.

3 Aliqui tamen id admittunt (ut refert *Abulensis c.* 5. *Matth. q.* 224.) ut verum sit in viro agenti, secus in femina patienti. Quia non habet sui corporis potestatem, sed solus vir. Deinde, quia stat petentem reum esse culpæ, reddentem vero illius immunem. Verum tenendum est nullo modo licere uxori pati copulam sodomiticam, aut effusionem seminis extra vas: licet alias mors sibi comminata obeunda sit. Quia ea copula est intrinsece mala, pejorque fornicatione, quæ nullo timore potest honestari: nec est matrimonialis, quæ sola licita est. Ita *Alensis 2. p. q. 166. membr. 3. ad 2. Abulens. d. q. 224. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 20. §. 3. Silv. verb. Debitum, q. 4. init. Tab. Matr. 3. q. pen. Ledes. 2. p. 4. q. 81. ar. 6. propos. 5. Margarita confess. 6. præcep. f. 86. p. 1. Graffis p. 1. decis. l. 2. c. 82. n. 13.* Nec obstat argumentum contrarium, quoniam vir non habet potestatem in uxoris corpus, ad quemcumque usum, sed ad solum uxorium intra vas legitimum. Hoc tamen libenter fatebor, si velit vir intra vas legitimum copulam habere, quamvis tempore effusionis feminis soleat membrum retrahere, quo semen extra decidat, uxorem copulæ assentientem, minime autem membri retractioni, liberam esse a culpa. Quia dat operam rei licitæ, debitum legitime exactum reddens, & malitia viri est omnino extrinseca, & aliena ab illo actu, nec uxor illi assentiens fit particeps, quin potius dissentit culpæ.

4 Rogabis forsan, qualis culpa sit, si vir volens legitime uxori copulari, quo se excitet, vel majoris voluptatis captandæ gratia, inchoet copulam cum ea sodomiticam, non animo consummandi, nisi intra vas legitimum, nec cum periculo effusionis extra illud. Quæstionem hanc tetigit *Nav. l. 5. conf. in utraque editione, tit. de pœnit. & remiss. conf. 7.* & facile se ab ea expedivit, dicens tantum reperiri peccatum tactus cujusdam illiciti, nec teneri virum consteri circumstantiam sodomiæ. Quare aperte solam venialem culpam in eo actu agnoscit: nullamque reddit rationem. Et huic sent. favere videtur *Ovandus 4. d. 31. q. un. propos. 3.* ubi ait omnem coitum libidinosum excusari inter conjuges, modo non sit periculum extraordinariæ pollutionis. Atque probari potest. Quia quidquid conjuges efficiunt servato ordine legitimo, non excedit veniale crimen (ut diximus disp. præc. n. 4.) vas autem servari dicitur, quoties extra illud non effunditur semen, ut contingit in præsenti. Secundo, quia tactus hic, instar tactuum membri virilis cum manibus, aut uxoris cruribus, reliquisque partibus, potest ad copulam conjugalem referri, nimirum, ut vir ea delectatione excitetur, aptiorque ad eam efficiatur: & esto ad solam voluptatem referretur, esse culpa venialis, quales sunt ceteri tactus ita relati ad voluptatem.

5 Ceterum viris doctissimis a me consultis visum est culpam esse lethalem sodomiæ inchoatæ: idque merito. Quia ille tactus nec ex se, nec ex tangentis intentione, potest ad actum conjugalem referri: eo quod medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ sit. Sicut esse mortale distinctæ speciei, inter solutos habentes animum intra vas debitum consummandi. Atque hinc solvuntur facile objecta. Quoniam non dicitur vas legitimum servari, quando usurpatur illegitimum ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licet intra illud non consummetur, & ceteri tactus non sunt media improportionata, nec alterius ordinis luxuriæ. Quare tactus hic reputatur instar aliorum inter conjuges, qui ad summum culpæ veniales sunt.

Similiter esset culpa mortalis, si conjux in actu conjugali delectetur in alterius viri, aut feminæ cogitatione carnaliter dilectorum. Quia est delectatio morosa in objecto lethaliter malo. Ita *D. Ant. 3. p. t. 1. c. 14. §. 1. Silv. v. Debitum, q. 2 fin. Phil. de offic. sacerd. to. 1. p. 2. l. 4. c. 19. paulo post princ.* Merito tamen dicunt, carnaliter dilectorum: Quia si delectatio in nulla re turpi esset, sed in sola pulchritudine viri aut feminæ, ac posset in cogitatione arboris pulchræ delectari; ut vel sic ad actum conjugalem excitetur, nullam video lethalem culpam. Cum delectatio in nullum turpe objectum feratur, & ad honestum finem dirigatur. Non tamen est hoc alicui permittendum, sed valde diffuadendum est ratione periculi. 6

Quæstio II. An sit culpa lethalis, quando data opera se 7
minatio utriusque conjugis non est simul: aut semen extra legitimum congressum effunditur? Et videtur lethalem esse culpam, ubi consulto seminatio utriusque non est simul. Quia cum ex semine maris, & feminæ unum principium activum generationis consurgat, utrumque simul concurrere necesse est, ne generatio impediatur; ut docent *Galen. lib. 4. de usu partium, cap. 7. Petrus Mato l. de semine fol. 59. §. Intercedente*. Et saltem ubi vir prius seminat, quam femina, impediri generationem, tradunt *Avicenn. f. 21. tertii l. de membris generationis, c. 7. de sterilitate, vers. Error autem accidens est*. Ubi *Jacobus de Partibus, & Gentilis de Fulgineo. Item Nicolaus Florentinus super sermone 6. cap.* 13.

Prima tamen conclusio sit. Sanum est consilium, ut curetur simul utrumque semen effundi: quare conjugi tardiori ad seminandum consulendum est, ut ante concubitum tactibus venerem excitet, ut vel sic possit in ipso concubitu simul effundere semen. Ita *Cajet. 2. 2. q. 154. ar. 11. ad fin. dubio 5. Tabiena, v. Luxuriosus q. 6. §. 7.* & ratio est. Quia licet semen mulieris non sit ad generationem necessarium; multum tamen confert ad facilius generandum. Tum quia vis activa seminis virilis in semineum agens, coceptum pulchriorem, ac nobiliorem format. Tum etiam, quia feminea matrix voluptate effusionis seminis irritata, ac incensa, avidius virile semen complectitur. Et semineum semen valde utile esse generationi, ad idque a natura institutum, vel ex eo convincitur, quod natura nil frustraneum, sed universa in finem aliquem referens agat. Cum ergo veneream delectationem, eamque vehementissimam in feminæ seminatione constituerit, cujus index manifestus est sedatio venereæ concupiscentiæ ex illa in fetoinis consurgens, signum est evidens hanc seminationem a natura institutam esse ad generationem, specieique conservationem, si non ut necessariam, saltem ut utilissimam. 8

Secunda Conclusio. Non est necesse utrumque conjugem se- 9
minare simul. Quare dum vir semen effudit, minime tenetur feminæ effusionem expectare. Probatur, quia semineum semen nec esse necessarium, nec active ad generationem concurrere, docent *Galen.* sibi contrarius, *l. 1. de sanit. tuenda, c. 1. & l. 2. de natur. solut. c. 3. Arist. l. 1. de gener. animal. c. 2. & l. 2. c. 3. Avine. 1. 9. de animalib. c. 1. Albert. Magnus l. 5 de animal. c. ult. Hugo Senensis super libros Tegni Galeni, l. 2. super §. Frigidum vero, & ficum, textu* 1. & multi alii: & universa Theologorum schola (si Scoti sectatores excipias) cum *D. Th. 3. p. q. 31. ar. 4. ad 3.* Quod inde constat. Quia experientia teste, feminæ omnino invitæ, in balneisque semen virile recipientes concipiunt: tunc autem minime seminant, alias veneream delectationem maximam non possent non sentire. Ergo cum absque eo femine, nedum sibi non simul, sed post effunditur, generatio sequatur, nullum præceptum constringit ad simul effundendum. Nec obstat id generationi convenientius esse. Quoniam non tenentur conjuges convenientiorem, ac faciliorem generandi viam eligere, sed satis illis est, si generationi non obstent, juxta dicta disp. præc. n. 6. Et ideo hanc conclusionem tenet *Enriq. l. 11. de matr. c. 16. n. 7. fin.*

Hinc deducitur minime culpæ lethalis reum esse virum ta- 10
ctibus irritantem venerem, scientem se ob id præmaturius feminam seminare. Quia concursus utriusque seminis minime ad generationem desideratur, ut n. præced. probavimus. Sic viri sapientissimi e Societate Jesu, & *Enriq. l. 11. de matr. c. 15. num.* 3. dicens sic sensisse DD. Complutenses hac de re consultos.

Tertia Conclusio. Marito fas est copulam continuare, ubi 11
ipse semen effudit, donec femina seminet. Quia hoc pertinet ad completam copulæ uxoriæ consummationem. Sic *Cajetan. Tab. n. 8. relati, Graffis par. 1. dec. l. 2. c. 82. n. 15.*

Quarta Conclusio. Voluntaria seminis effusio extra vas, aut 12
is modus congrediendi, ex quo illa sequatur, est manifestum scelus mortale contra naturam. Quia adversatur fini generationis naturalis, ad quam natura ipsa semen destinavit. Quæ ratio in viri semine, utpote omnino ad generationem necessario, manifeste locum habet, Sed idem est dicendum de feminea pollutione voluntaria: illius enim semen a natura ordinatum est ad generationem, aut tanquam necessarium, juxta unam opinionem, aut saltem juxta veriorem, tanquam utilissimum, & valde ad illa conferens, ut probavi n. 8. Insuper conclusio hæc constat ex *c. 38. Genes.* ubi refertur Onam Judæ filium a Deo interfectum esse, remque detestabilem fecisse, scilicet dando semen extra vas uxoris fratris sui, quo prolis generationem impediret.

13 Et hoc quidem accipiendum est, sive in toto actu conjugali, sive in parte, aut in illius fine, totum semen, aut pars illius extra vas fundatur. Ita *Gajet. 2. 2. quæst. 154. nu. 1. circa solut. ad 4.* §. *Ad singula autem*. Quod tamen temperare oportet. Nam excusari potest vir a culpa, si præter intentionem, dum legitime congredi conatur, ex festinatione quadam semen extra effundit: etiam si metu aliquali sic effundendi accesserit. Quia id non vitio, sed naturæ festinationi tribuendum est. Ita *Sotus 4. d. 31. q. un. ar. 4. ad fi. Barth. a Led. disfic. 28. de matr. dub. ult. conel. 1. Lud. Lop. 1. p. instr. c. 79. fi. & 2. p. de matr. c. 45. f. 1105. col. 2. Petrus de Led. de matr. q. 49. ar. 9. dub. 2. conel. 3. Graffis, 1. p. decis. l. 2. c. 82. nu. 14. Manuel 1. tom. sum. 3. edit. c. 243. n. 20. Vega 1. tom. sum. c. 78. casu 7. 1. tom. sum. 3. edit. c. 243. n. 20. Vega 1. tom. sum. c. 78. casu 7.*

14 De pollutione autem involuntaria ex tactibus inter conjuges consurgente dicam hoc l. tota disp. 45. atque de obligatione semen acceptum retinendi, dicam disp. 20. n. 3. & 4.

15 Quinta Conclusio. Quamvis licitum sit manum, testiculos, aut quodvis aliud membrum sibi amputare, ubi id ad vitam tuendam desideraretur: at pollutionem procurare nunquam potest licite, etiam mediis alias licitis, ut pharmacis, nec id aliquo bono fine potest honestari, licet omnino ad vitam præservandam necessarium sit. Conclusio ab omnibus admittitur: at ejus rationem assignare est difficillimum. Communiter ea traditur. Quia cum cetera membra ad ipsius individui bonum, & incolumitatem natura destinarit, administrationem ipsorum individuo concessit, ut ipsa amputare posset, non libere tanquam si dominus esset, sed ubi necessitas, ac ipsius incolumitas id postularet, more legitimi, ac fidelis administratoris. Seminis autem, utpote a natura instituti, non ad ipsius individui bonum, sed ad speciei conservationem medio conjugali congressu nullatenus dominium, aut administratio ipsi homini concessa sunt: ac subinde ejus effusionem extra conjugalem copulam in nullo eventu procurare poterit. Quamvis autem hæc ratio communis sit, non omnino placet. Primo, quia generationi defervire cum propriæ salutis notabili detrimento, nedum cum vitæ periculo, nemo obligatur, etiam altero conjuge debitum petente, ut dicemus hoc l. disp. 24. num. 2. Non ergo, ne frustretur generatio, astringitur homo ad semen retinendum cum vitæ jactura. Secundo, quia nemo negabit fas esse sirupum accipere semen resolventem in sanguinem, aliumve humorem aliis viis expurgandum, ne æger omni medio ad salutem præservandam corporis destituatur: at generationi æque obstatur, ac necetur resolvendo, ac expellendo semen. Accedit, licere ob individui bonum amputare sibi testiculos generationi necessarios, cum tamen in eo eventu prorsus generatio impediatur: a fortiori ergo licebit, semel vel iterum generationem impedire, effundendo semen; ut vitæ propriæ consulatur: eo vel maxime, quod vita amissa prorsus generandi potentia extinguatur. Tertio, quia magis accedit generationi perfectæ fœtus nondum animatus, quam semen: cum tamen expulsio illius licite procurari possit, ubi ad matris salutem desideratur: ut probavimus hoc l. disp. 20. n. 9. Et confirmatur, quia semen est pars ipsius individui, sicut fœtus est pars ventris: atque ita non est cur negetur administratio illius, sicut hujus conceditur ob bonum totius. Quarto, quia quod ipsa natura disponente naturaliter efficitur, si ratione fiat, nullus est abusus: motus enim ille naturalis, Authori naturæ tribuitur: sed non obstante generationis damno, natura sæpe, quo se exoneret, semen expellit: licebit ergo ipsam medicamentis ad id adjuvare. Et confirmatur, quia fas est judici latronem suspendenti opem ferre, idque curare: eo quod actio illa suspendendi licita sit. Cur ergo actionem virtutis expulsivæ semen nocivum expellentis, quæ naturalis est, & consequenter bona, adjuvare medicinis nefas erit? Hæ rationes me valde urgent, ut censeam non esse legitimam rationem communiter traditam: atque ita legitimam rationem esse censeo, cur in illo eventu, & ubi ad vitam tuendam necessarium esset, liceat seminis effusionem procurare. Quia adeo vehemens in seminis emissione delectatio sentitur, ut illam, teste *Abulens. cap. 5. Matth. q. 184. ad* 1. homines tanquam summum bonum prosequantur, illique veluti suæ felicitati adhæreant. Quare ob id natura in omni eventu ipsius administrationem homini denegavit: ea enim in aliquo casu concessa, evidentissimum subesset periculum, ut homo a passione libidinis excæcatus, passim sibi persuaderet causam effundendi justam adesse, atque ita semen prodigere, indeque fornicationes, adulteria, aliaque innumera luxuriæ vitia adversus communie bonum pullularent. Quibus ut obviaret natura, merito, ac jure optimo prædictam administrationem negavit, non obstante vitæ individui periculo: quæ bono communi cedere debet, illique postponenda est. Non sic autem contingit concessa ceterorum membrorum ob totius bonum administratione: dolor enim maximus ex ipsorum amputatione consurgens, coercebit a necessaria, nedum a prodiga ipsorum administratione: unde concludo legitimam rationem, cur pollutio voluntaria sit vitium contra naturam, esse, quia adversatur generationi ad quam natura semen destinavit: non autem ea est legitima, cum in nullo eventu permissa sit: sed quia omnino est denegata homini seminis extra matrimon. copulam administratio ob commune bonum, ad occurrendum periculis ex ea administratione concessa orientibus. Et hac ratione non proposita, facile diluuntur objecta, ea enim omnia propone propositæ, facile diluuntur objecta, ea enim omnia proponantur generationis damnum minime obeise, quin aliquando liceret ob totius incolumitatem seminis effusio: nisi obstaret vehemens periculum semen prodigendi, aliorumque vitiorum, ob vehementem delectationem. Atque ideo quamvis ceteris expulsivis virtutibus opem ferre medicinis, & aliis modis licitis, ad suas actiones naturales perficiendas, fas sit: huic tamen nefas est. Tandem accipe rationem a posteriori, ad probandum nunquam licere procurare seminis effusionem. Quia minus inordinatus est usus seminis in fornicatione, quam in pollutione, quæ gravis peccatum est, & contra naturam, & tamen in nullo eventu illi licet. Neminemque huic conclusioni adversum inveni. *Altisiodor.* enim falso citatur pro contraria sententia *l. 2. suæ sum. tr. 28. c. 2. q. 2. incidenti*: id enim non dicit, sed licere medicinis impedimenta virtutis generativæ auferre, licet inde præter intentionem sequatur pollutio, de qua re dicam hoc l. 9. disp. 45. n. 10.

Hinc deducitur non licere cooperari ad seminis jam e 16
lumbis decisi effusionem, quamvis retentio saluti corporis grave detrimentum allatura sit. Quia vere est seminis administratio, & fluxus illius procuratio, & non solum pati. Licebit tamen ubi pollutio est in naturali fluxu, in somnisque cepit, illam non impedire ob morbi periculum, cessante periculo consensus in delectationem. Ut bene docent *Gerson. tr. de pollutione diurna, alphab. 38. litt. I. in* 12. *propos. Sotus 4. d.* 12. *q.* 1. *ar.* 7. *vers. Unde ad arg. Cord. l.* 3. *quæstion. q.* 23. *fin. Lud. Lop.* 1. *p. instr. c.* 74. §. *Accedit ad hoc, Emm. Sa sum. v. Luxuria vers. Cœptam in somno, Vega tom.* 2. *sum. c.* 67. *casu* 1. Quia id non est procurare, sed pati emissionem seminis, quæ non impeditur a patiente, ne corruptus ille humor noceat. Imo expedit communiter tunc manibus quietis, non hic vel illic tangendo, signo crucis se munire, & Deum attente, ac ferventer orare, ne permittat lapsum in eam delectationem. Ita *Gerson illo alphab. 38. litt. G. propos.* 8. Adde idem esse ubi pollutio cœpit culpa patientis, si enim ipso fluxu præteritæ culpæ eum pœniteat, non tenetur fluxum reprimere, quia jam pœnitentia interrupit actionem præteritam, nunc autem solutum patitur.

Imo procurare notabilem spirituum vitalium defervien- 17
tium generationi, & seminis effusioni, commotionem per media etiam alias licita, crederem esse mortales. Quia talis alteratio, & commotio est inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis consummationem essentialiter ordinatur. Idem censeo de procuratione notabilis distillationis: quia talis distillatio notabilis est per se conjuncta cum notabili spirituum vitalium commotione.

Quæstio III. An quando vir post matr. in eam impoten- 18
tiam incidit, ut intra vas seminem seminare nequeat: vel femina ita arcta affecta est, ut semen recipere non valeat, vel receptum minime retineat, liceat illis conjugalis accessus cum illius externæ seminationis periculo? Primo dico, si de potestate seminandi intra vas, sive ex viri imbecillitate, aliove morbo, ut quia membro virili truncatus est, aut foramen habet in superiori membri parte, qua urina semenque exeunt (ut his diebus de hoc casu consultus fui) aut ex superveniente feminæ arctitudine, prorsus desperatum sit, nequaquam licitus erit conjugalis accessus cum hoc periculo. Quia copula conjugibus permissa est solum intra vas legitimum: ergo ubi hæc est impossibilis, non licebit. Ita expresse colligitur ex *Cajetano 2. 2. qu. 154. ar. 1. circa solut. ad 4.* §. *Ad 2. vero casum* ubi hoc licere admittit, ubi impotentia est temporalis, subestque seminandi intra vas spes, & docent *Sotus 4. dist. 54. quæst. un. art. 2. ad fin. corpor. vers. Ex quo fit, Enriq. lib. 11. de matrim. cap. 15. num. 4. in commento litt. N. Lud. Lop. 1. p. instruct. cap. 79. ad fin. Manuel 1. tom. sumn. 2. edit. cap. 243. n. 9. Vega 1. tom. summ. cap. 78. casu 7.* idem videtur expresse tenere *Major. 4. dist. 34. q. 1. col. 3. immediate ante vers. Dubitatur*, dicens licere petere, & reddere, dum impotentia est dubia: quod absit probabilis spes cognoscendi, ergo sentit contrarium ea spe cessante.

Secundo dico, his conjugibus licitos esse tactus, si pol- 19
lutionis periculum absit. Constat, quia sunt veri conjuges, talibus autem copula, & tactus permissa sunt: & licet ad copulam conjugalem tanquam impossibilem eos referre nequeant, at possunt ad concupiscentiam carnis sedandam, & ad amoris mutui signa præbenda. Ita colligo ex *Soto num. præced. relato*, ubi hos tactus quando adest pollutionis periculum, damnat, & colligo ex doctrina aliquorum doccentium virum duceutem feminam arctam, cui per incisionem subveniri potest, quam ipsa renuit, posse ejus amplexibus aliisque tactibus frui, absque pollutionis periculo, eo quod legitimum est matrimon. quamvis copula impossibilis sit, dum ipsa incisionem refugit. Hi sunt *Angles floribus 1. de matrimon. quæst 8. de impediment. matrimon. artic. 1. post 1. difficult. 9. Ludov. Lop. Manuel Vega namer. præcedent. allegati. Cannedo summa sacram. de matrimon. cap. 5. numer.* 37. quod & verissimum est.